Di, 1a K II, 61

~~1370~~

Bibl. Gymn. Rudolst.

DISSERTATIONVM RARIORVM
DE

ANTIQVITATIBVS SACRIS ET PROFANIS

FASCICVLVS NOVVS.

RECENSVIT ET SCHEDIASMA

DE

IVRE CAELIBATVS

APVD

LACEDAEMONIOS

PRAEMISIT

IVLIVS CAROLVS SCHLAEGERVS
PHILOLOGIAE GRAECAE ET ORIENTALIS IN ACADEMIA
IVLIA PROFESSOR PVBL. ORDINAR.

BIBLIOTHECA
...STADIENSIS

HELMAESTADII
APVD PAVLLVM DIETERICVM SCHNORRIVM
ACADEMIAE IVLIAE TYPOG.
CIϽ IϽ CC XXXXIIII.

VIRO ILLVSTRI

DOMINO

PAVLLO GOTTLIEB WERLHOFIO

AVGVSTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS

ARCHIATRO

ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM

SOCIETATIS REGIAE LONDINENSIS

NEC NON

TEVTONICAE LIPSIENSIS

COLLEGAE

ARTIS SALVTARIS

SCIENTISSIMO

OMNI DOCTRINA LIBERALI

POLITISSIMO

IVDICII ET FACVNDIAE

INGENTI GLORIA FLORENTI

QVEM

MVSAE MANSVETIORES

ATQVE

HVMANITATIS STVDIA

A QVIBVS

ABFVIT NVNQVAM

ORNANT PARITER AC RECREANT

CVIVS

AD OMNIA DEXTERITATEM

NON MINVS

QVAM COMITATEM EXQVISITISSIMAM

SVMMI MEDII INFIMI

CIVES ET PEREGRINI

HONORIFICENTISSIME COLLAVDANT

SVSPICIVNT VENERANTVR

ERV-

ERVDITAE HANOVERAE

IMMO

TOTIVS LITTERARII ORBIS

DECORI MAXIMO

FAVTORI SVO OBSERVANTER COLENDO

AMICO INTEGERRIMO CERTISSIMO

HAEC

DE

ANTIQVITATIBVS

SACRIS ET PROFANIS

OPVSCVLA

VT

VETVSTATIS VENERANDAE

CALLENTISSIMO

ET

ISTIVSMODI ELEGANTIARVM

ELEGANTI SPECTATORI

EXISTIMATORI IVSTO

ANIMO LVBENTI ET GRATO

ANTIQVAE OBSERVANTIAE PIGNVS

VOTO

PRO FELICITATE

AMPLISSIMA CONSTANTISSIMA

PIISSIME SVSCEPTO

SANCTEQVE REDDENDO

DAT DICAT DEDICAT

IVLIVS CAROLVS SCHLAEGERVS.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
IVLIVS CAROLVS SCHLAEGERVS.

§. I.

Permagni intereſſe rerumpublicarum, viros, iuſta aetate, matrimonium contrahere legitimum atque operam dare procreandae ſoboli, quae, ſuo tempore, civitatis inſerviat commodis, eidemque periclitanti opem ferat, homines priſci, ſi minus omnes, certe maximam partem, agnoverunt. Illi quidem, qui vetuſtos Graecos Romanosque fabulas docuerunt, Comici iuxta atque Tragici, propter incommodos ac immanes, quos in ſui aevi mulieribus animadvertebant, mores (a), coniugium, ut rem angue peius fugiendam, quacunque data occaſione, repraeſentarunt (b). Immo, ALEXIS, mediae comoediae poeta, nullus dubitavit canere (c):

- Οὐχὶ κρεῖττόν ἐστι τῷ γ' ἔχοντι νοῦν
Ἄτιμον εἶναι μᾶλλον, ἢ γυναῖκ' ἔχειν;
- *Annon ſatius eſt homini prudenti*
Infamem fieri potius, quam uxorem ducere?

Quot vero nuptias ex utilitatibus potius, quas rei afferunt communi, quam ex domeſticis ſollicitudinibus, cum illis non rarenter coniunctis, ſpectarunt, tot matrimonii exſtitiſſe fautores, hosque omnes in civibus, iuſto modo augendis, ma-

(a) Veterum poetarum de mulieribus, in vitia quaevis proclivibus, loca cupienti larga manu ſatisfaciet ANDR. TIRAQVELLVS *de legibus connubialibus et iure maritali*, p. 127. b. ſqq.
(b) Vide IO. PHIL. PAREI *Electa Plautina*, pag. 148. ſqq.
(c) Apud STOBAEVM *Sermon.* LXVI. p. m. 387. b.

maximam poſuiſſe curam, ſi antiquum perluſtraverimus orbem; obſervabimus. Sic gentium doctor, PAVLLVS, vel quisquis *epiſtolae, ad Hebraeos* datae, eſt auctor, matrimonii indicaturus et pretium, et neceſſitatem, ſancit (d): Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι: *Honorabile coniugium inter omnes*, ſcil. ἔςω, *ſit*; quem imperativum hic multo rectius ſubintelligi, quam ἐςὶ, *eſt*, quod nonnullis placere video, et res ipſa, de qua agitur, oſtendit, (haud enim omnes mortales pulcrum duxerunt atque iuſtum ducere uxorem) et cetera praecepta, hoc capite, imperativis expreſſa, planum faciunt, et ſuo aſſenſu probant interpretes complures (e). Iudaei quoque ius connubii tantae exiſtimarunt ſanctitatis, ut in eo fundamentum ponerent totius legis Moſaicae, praeciſe adfirmantes, iſtius gratia reliquas tabulas omnes eſſe fixas. Quid? quod recutitae nationis magiſtri, quorum nonnullos collaudat IOH. HENR. HOTTINGERVS (f), docent, caelibes inter et homicidas plane nihil eſſe diſcriminis; eaque propter matrimonium defugientibus complures easdemque ſic ſatis graves conſtituerunt poenas, ex parte a IOH. BVXTORFIO (g) recenſitas. Ad noſtros quod attinet maiores, priſcos Germanos, quam acerbe oderint, qui odio habebant nuptias, quamque ſevere coercuerint affectatam caelibatus licentiam, poſt IOH. GEORG. SCHOTTELIVM (h) aliosque, noſtra tempeſtate, pluribus ediſſeruit biga ICtorum maxime celebrium, IOH. PAVL. KRESSIVS (i), ſplendidum quondam inclytae Iu-

(d) *Cap.* XIII, 4.

(e) Conf. HENR. HAMMONDI *Notas in ſuam N. T. paraphraſin*, ad h. l. IOH. CLERICVM *ibid.* IOH. FRID. HOMBERGK *Parerga ſacra*, pag 354. et PAVL. COLOMESII *Opera*, p. 648.

(f) *De iure Hebraeorum*, pag. 6. ſq.

(g) In *Lexico Chaldaico, Talmudico et Rabbinico*, col. 2231.

(h) *De ſingularibus quibusdam et antiquis in Germania iuribus et obſervatis*, Cap. I.

(i) In *Diſſ. de iure Hageſtolziatus, praecipue in agro Guelferbytano*; et in *Repetitione huius diſputationis*; quod ſcriptum utrumque lucem adſpexit Helmſtadii 1727. 4.

Iuliae ſidus, et IOH. PETR. de LVDEWIG (k); quorum hic tamen *ius Hageſtolziatus*, uti vulgo dicunt, priſcae Germaniae incolis incognitum atque, apud Romanos prognatum, recentiori demum aevo, in patriam noſtram fuiſſe adſcitum, multo apparatu contendit. Quicquid vero huius ſit ſententiae, cuius examen, a noſtro quippe alienum foro, illis relinquimus, qui hac in cauſſa iudices poſſunt ſedere, peritis legum Germanicarum interpretibus: dubio tamen caret, Romanos olim tam honoribus praemiisque ad uxores ducendas invitaſſe cives, quam ſeveram ſexus ſequioris oſoribus irrogaſſe poenam, mulctam, *uxorium* dictam, ab illis exigendo, eosdemque cum honoribus, quos iuniores habere debebant ſenioribus, ſpoliando, tum in tribus, ceteris inhoneſtiores, referendo prohibendoque, ne quid ex ullo caperent teſtamento; quae omnia teſtibus promta fecit litteratiſſimus noſtri ſaeculi ICtus, IO. GOTTL. HEINECCIVS (l). Quae Quiritum de fugiendo caelibatu leges, ego ſi quid iudico recte, cum aliis compluribus, in Latium ex Graecia migrarunt, et ita quidem, ut mulcta ex Attica, dedecus vero ex Spartanorum agris advenerit. PLATO (m) etiam tabula, qua illos, qui extra coniugium quinque et triginta egerint annos, quotannis pecunia non parva mulctari atque inſuper certa quadam ignominia iuſſit adfici, quaeque Romanorum legi, plane paullo ante recitatae, eſt ſimillima, non ſolos Lacones, ut IOACH. KÜHNIO (n) videtur, ſed ſuos quoque populares eſt imitatus; quandoquidem apud hos, qui in ἀγαμίου cauſſa concidebant, aes debebant populo pendere, non vero apud illos, qui, in aliis quoque delictis, poenam pecuniari-

 am

(k) In *Differentiis iuris Romani et Germanici in Hageſtolziatu, exule in Germania.* Halae 1727. 4.

(l) In *Antiquitt. Roman. iuriſprudentiam illuſtrantium Syntagm.* lib. I. tit. XXV. §. 3. et lib. II. tit. XIIII. §. 2.

(m) *De legibus* lib. IIII. pag. 835. B. et lib. VI. pag. 870. A. edit. Frf. 1602. fol.

(n) In *notis ad Pollucis Onomaſtic.* lib. VIII. ſegm. 40.

am diu ignorarunt, et ea ſontes coercere tunc demum coeperunt, quum eorum respublica ad formam vitioſam vergere incepiſſet.

§. II.

Non erunt, credo, hoc tempore amplius, qui nobis, iuris caelbatus Romani particulam ex Lacedaemonia derivantibus, opponant auctoritatem AVGVSTINI (o), diſerte ſcribentis, ex Lycurgi legibus nullas Romam attuliſſe Decemviros. Nam, hunc priſci coetus Chriſtiani praeſulem memoria eſſe lapſum, ſuo iam aevo vidit oſtenditque HIERON. MAGIVS (p); ut iam de eruditis recentioribus taceam, qui, cum laudato HEINECCIO (q), contra AVGVSTINVM teſtes excitarunt ATHENAEVM (r), AMMIANVM MARCELLINVM (s) et SYMMACHVM (t), quorum nullus eſt, quin exempla legum Romanarum, ex Laconum rhetris petitarum, afferat in medium. Iam, probabilitate haud exigua praedita ſi eſt eorum opinio, qui contendunt, priſcos Quirites, de matrimonii contemtorum protervitate cohibenda ſollicitos, tam Lycurgum conſuluiſſe, quam Solonem: omnes, qui paullo plus, quam vulgus, ſapiunt, nobiscum confitebuntur, ad illud iuris Romani caput plenius planiusque intelligendum requiri notitiam eorum, quae Athenis et Lacedaemone de eodem hominum genere fuerunt conſtituta. Quemadmodum igitur munus, cuius colendi efficiendique cauſſa in illuſtri Academia Iulia vivimus, a nobis poſtulat, ut in veteri Graecia verſemur frequenter, eiusque incolarum ritus enarremus enarratorumque originem, naturam atque inprimis cauſſas expromamus: ita non ingratum fore confidimus

(o) *De civitate Dei*, lib. II. cap. 16.
(p) *Miſcellan.* lib. I. cap. 8. *Theſauri critic. Gruterian.* Tom. II. pag. 1283.
(q) In *prooem.* lib. cit. §. 3. in not.
(r) *Deipnoſoph.* lib. VI. pag. 273.
(s) *Hiſtor.* lib. XVI. cap. 5.
(t) Lib. III. ep. II.

mus veris legum cultoribus, ſi, qualis inter Athenienſes Laconesque conditio *μισογυνῶν* fuerit, accuratius explicemus eademque opera ipſis ſuppeditemus, unde iuris Romani de eodem argumento placita queant illuſtrare. In praeſens quidem conſtitutum haud habemus, Athenienſium de caelibatu tabulas recenſere, quippe quas enodatas tum exhibebimus orbi erudito, quum commentarios, quos de *Hebraicarum et Atticarum legum convenientia* molimur, perficere et, pro ingenii noſtri modulo, perfectas publici iuris licebit facere. De eo ſolo nunc exponemus, quae iura de nuptiarum hoſtibus ſanxerit legislator Laconicus. Iam diu quidem eſt, quum de hoc ipſo argumento diſſeruerunt duumviri, inter veteres Graecos nequaquam hoſpites, et, qui in Spartanorum mores atque inſtituta data opera inquiſiverunt, NIC. CRAGIVS (u) et IOH. MEVRSIVS (x). Sed hi non niſi veterum auctorum verba, quibus Laconicae caelibatus poenae recenſentur, in medium adduxerunt, minime ſolliciti de illis momentis, ſine quorum cognitione paullo penitiore iſtam Graecarum antiquitatum particulam nemo facile perſpiciet. Adeo igitur non veremur, ne poſt Homerum ſcribere videamur Iliadem, ſi hanc materiam ſtilo noſtro inſtituamus perpolire, ut potius, acceptum hoc fore eruditis, in ſpem veniamus certiſſimam. Ea autem ratione hoc fungemur labore, ut primo de eo diſpiciamus, quis inter Lacedaemonios caelibis deſignatus ſit nomine; deinde poenas, in eum decretas, ordine recenſeamus; porro indicemus, cur dedecore potius, quam mulcta Spartani punire voluerint connubii contemtum; ac tandem latae huius legis eiusque ſeveritatis ſummae cauſſas ex reipublicae Spartanae natura eruamus.

§. III.

In recentioribus iurisperitorum ſcholis caelibes appellari eos novimus, qui vel per vitam omnem a nuptiis contra-

(u) *De republica Lacedaemoniorum*, lib. III. tab. IIII. inſtitut. 1. et 2.
(x) *Miſcellaneor. Laconic.* lib. III. cap. 3.

trahendis abhorruerunt, vel intra certum et a legislatore definitum annorum numerum uxores neglexerunt, aut noluerunt ducere. Tabulas contra Spartiacas perlegenti fiet perſpicuum, ſecundum eas non ἄγαμον modo et ὀψίγαμον, verum etiam eum fuiſſe plectendum, qui ad vota ſecunda transire aſpernabatur; ſic, ut caelibatus crimen apud Lacones aeque late patuerit, ac Romae iſta patuit dictio, quippe quam de *viduitate* etiam fuiſſe uſurpatam ex PLAVTO (y), SVETONIO (z) et SIDONIO APOLLINARI (a) diſcere licet. Conſervatam legis Spartanae, de qua agimus, memoriam referimus acceptam diligentiae triumvirorum minime incelebrium, et in his primo loco nominando IVLIO POLLVCI, cuius haec ſunt (b): Ἦσαν καὶ ἀγαμίου δίκαι πολλαχοῦ, καὶ ὀψιγαμίου, καὶ κακογαμίου ἐν Λακεδαίμονι. *Fuerunt etiam caelibatus actiones multis in locis: ſerotini quoque, & mali matrimonii iudicium fuit apud Lacedaemonios.* Idem, iisdem ferme verbis, ſed paulo dilucidius, refert ARISTO, apud STOBAEVM (c): Σπαρτιατῶν νόμος τάττει ζημίας, τὴν μὲν πρώτην, ἀγαμίου, τὴν δευτέραν, ὀψιγαμίου, τὴν τρίτην καὶ μεγίστην, κακογαμίου. *Spartanorum lex poenam conſtituit primam non ducenti uxorem, alteram ſero ducenti, tertiam et graviſſimam illi, qui malam duxerit.* Addimus CLEMENTEM, *Alexandrinum* (d), qui recte explicatus, punitae etiam viduitatis iniicit mentionem: Ὁ τῶν Λακώνων νομοθέτης οὐκ ἀγαμίου μόνον ἐπιτίμιον ἔστησεν, ἀλλὰ μονογαμίου, καὶ ὀψιγαμίου, καὶ μονοδιαιτησίας. *Legum Laconicarum lator non caelibatus tantum ſanxit poenam, ſed et unici matrimonii, item ſeri et vitae ſolitariae.* Priusquam ad uberiorem tabulae huius progrediamur explicationem, duos in ea nos animadvertere oportet animadverſosque emendare errores,

(y) In *Sticho*, Act. IIII. ſc. I. 37.
(z) In *vita Claudii*, cap. XXVI. et in *Galba*, cap. V.
(a) Lib. IIII. epiſt. 9.
(b) *Onomaſtic.* lib. III. ſegm. 48.
(c) *Sermone* LXV. p. m 383. b.
(d) *Stromatum* lib. II. pag. 182. edit. Commelin.

res, quorum alterum interpretes, alterum vero librarii errarunt. Illi nempe *κακογάμιον* perperam de *malo matrimonio* et *mala uxore* expoſuerunt, quum vertere debuiſſent, ſicuti HENR. STEPHANVS (e) fecit, per *illegitimum coniugium*, ſ. per uxorem, in qua ducenda non habita fuit, quarum haberi debebat, rerum ratio. Iudicabantur ſecundum *κακογαμίου* legem, qui uxores duxerant, nexu ſanguinis propiori, quam leges volebant (f), ipſis cohaerentes. Solvit eiusdem delicti poenas Archidamus, rex Lacedaemoniorum, quem, quod puſillam domum duxerat, ex qua non reges, ſed reguncu!os eſſet ſuſcepturus, mulctaſſe iudices, relatum legimus apud PLVTARCHVM (g). Alterum, quod librariorum culpa admiſſum eſt, mendum in CLEMENTIS verbis obſervamus, et quidem in vocula *μονογάμιον*, quippe quam, ut male ſanam, iam notavit NIC. CRAGIVS (h). Solent Graece loquentes populi *μονογάμου* nomine modo appellare, qui uno eodemque tempore unica contentus eſt uxore, modo autem, qui, prima coniuge fatis perfuncta, viduitatem antehabet votis ſecundis. At, neutra ſignificatione hanc dictionem CLEMENTEM adhibere potuiſſe, non obſcurum, opinor, erit contextum expendentibus. Priori enim notione eam ſi poſuiſſet, contradixiſſet legi Spartanae, HERODOTO (i) commemoratae, qua ſancitum, ut duas, aut plures uxores ſimul in matrimonio habere liceret nemini: ſi vero poſteriori, rem unam binis vocabulis, idem ſignificantibus, praeter omnem neceſſitatem, et tautologia haud condonanda, lectorem docuiſſet; quandoquidem *μονοδιαιτησία* etiam, ut mox audiemus, viduitatem ſonat. Niſi igitur in eam diſcedere malumus ſententiam,

 Ale-

(e) In *Theſauro ling. Graec.* Tom. I. col. 814.

(f) Vid. PHILO, *Iudaeus, de ſpecialibus legibus*, Opp. pag. 602. A. edit. Colon. Allog. in f.

(g) De *liberis educandis*, ſtatim ſub initium.

(h) Loc. citat. inſtitut. X.

(i) In *Terſpichore*, cap. XXXX.

Alexandrinum doctorem humani aliquid eſſe paſſum, aut ſibi non ſatis conſtare, loco *μονογαμίας*, in poſterum ſcribendum erit *κακογαμίου*, quod *ἀγαμίου* et *κακογαμίου* criminibus iungere et POLLVCEM, et ARISTONEM plane paullo ante vidimus.

§. IIII.

Sed, redeamus ex diverticulo in viam, diſpiciamusque de eo nunc curatius, quisnam in tabulis Spartiacis proprie dicatur *ἄγαμος*, quis *ὀψίγαμος*, et cuius naturae illud fuerit delictum, quod eaedem *μονοδιαιτησίας* nomine inſigniunt. Quod ad *ἄγαμον* attinet, nec mihi ſcrupulus vel tenuiſſimus reſidet, nec aliis linguae Graecae gnaris dubium videbitur, illo titulo legislatorem ſignificare virum, qui, cum potuerit, tamen noluerit legitimas contrahere nuptias, ſed in ſolitudine aetatem degere conſtituerit. Hoc enim conſtans et perpetuus huius vocabuli uſus, immo ipſa eius originatio ſatis ſuperque probat. Nec minus manifeſtum eſſe arbitramur, *ὀψίγαμον* Lacones vocaſſe, qui matrimonii contrahendi tempus legitimum praeterlabi fuerit paſſus. Quem vero vitae annum huic negotio perficiendo Lycurgus praefiniverit, non aeque promtum propoſitumque invenio. XENOPHON enim, minime indiligens rerum Laconicarum ſcriptor, refert (k), Lycurgum generatim tantum popularibus ſuis imperaſſe, ut, dum corpora maxime vigerent, ad nuptias contrahendas adpellerent animum. Quemadmodum autem veritati nequaquam videtur ſimile, Lycurgum, cuius in deſcribendis delictis horumque poenis miram accurationem norunt, qui eius perluſtrarunt rhetras, magiſtratuum permiſiſſe libidini, quo aetatis anno innuptos cives *ὀψιγαμίου* poſtulare et condemnare vellent: ita non male, noſtro iudicio, in re hac perobſcura coniecit plus ſimplici vice iam laudatus NIC. CRAGIVS (l), adfirmans, contrahendis coniugiis Lacedaemone praefinitum fuiſſe annum paullo ultra illum, quo inter

(k) *De republ. Lacedaemonior. Opp.* pag. 676. A. edit. Frf. 1596. f.
(l) Loc. cit. tabul. 2.

inter viros relati iuvenes; id quod aetatis trigeſimo factum. Cui coniecturae et nos favemus, ſic tamen, ut addendum exiſtimemus, eos, qui, viri facti, in vxoribus ducendis procraſtinationem oſtendebant odioſam, nec, elapſo anno aetatis trigeſimo quinto, domi habebant uxores, a Spartanis ὀψιγάμους fuiſſe ſalutatos. Ita hariolantes nitimur recepta apud tantum non omnes Graeciae incolas, immo etiam in variis civitatibus peculiari lege ſancita, conſuetudine haud diu ultra trigeſimum vitae annum differendi nuptialem celebritatem. Sic HESIODVS (m) colono ſuo praecipit:

Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι.
Μήτε τριηκόντων ἐτέων μάλα πολλ᾽ ἀπολείπων,
Μήτ᾽ ἐπιθεὶς μάλα πολλά.
Mature autem uxorem ad tuam domum ducito.
Neque triginta annis valde multum inferior,
Neque ſuperans multum.

Nec minus Solon, apud PHILONEM, *Iudaeum* (n), ſeptennium vitae quintum poſtulare nuptias, cecinit:

Πέμπτῃ δ᾽ ὥριον ἄνδρα μεμνημένον ἂρ γάμου εἶναι,
Καὶ παίδων ζητεῖν ἐξοπίσω γενεήν.
Quinta aetate virum maturum oportet eſſe memorem nuptiarum,
Et liberorum ſibi quaerere poſteritatem.

Similiter PLATONEM coniugium ultra trigeſimum quintum aetatis annum protrahentibus poenas decreviſſe, ſub huius ſcriptionis initium obſervavimus: quae clariſſimi philoſophi tabula coniecturae, quam cum Cragio cepimus, ponderis adiungit plurimum; quandoquidem deſumta eſt ex inſtitutis partim Atticis, partim Laconicis. Reſtat nunc, ut de eruenda quoque μονοδιαιτησίας natura ſimus ſolliciti. Eſt hocce vocabulum lectionis adeo rarae, ut, quum HENRICI STEPHANI et CASPAR. SVICERI, qui nobis ſumma cum cura et labore plane improbo Graeci ſermonis condiderunt the-

(m) *Opera et dies* v. 695. ſqq.
(n) *De mundi opificio*, Opp. pag. 18 D.

theſauros, effugerit diligentiam, nec lexicographi cum anti-qui, tum alii recentiores, quos quidem conſulere nobis licuit, illud adducant, perparum abſit, quin inficias eam, hanc di-ctionem hodie alibi, quam adducto CLEMENTIS loco oc-currere. Quodſi igitur vocum ſignificationes ex earundem uſu apud ſcriptores diiudicantur optime: de definienda ac-curate *μονοδιαιτηστίας* notione deſperare deberemus, niſi ille ipſe Alexandrinus digito veluti indice oſtenderet, quo ſignificatu illam velit accipi. Poſſet quidem conſideranti *μονο-διαιτηστίας* originem in mentem venire, ea voce deſignari *cae-libatum.* Eſt enim a *μόνος* et *διαιτάομαι*, quorum illud *ſolus* denotat, hoc vero *commoror, vitam dego.* At vero, quoniam in tabula Laconica, quam ex CLEMENTE recitavimus, ab *ἀγα-μίῳ* diſtinguitur *μονοδιαιτηστία*: minime inepte iudicat IO. MEVRSIVS (o), *vitam ſolitariam non aliam* hac dictione indi-cari, *quam viduitatem viri, poſt exactum matrimonium.* Cui ſententiae et nos ſubſcribentes exiſtimamus, hoc crimine ſe eos adſtrinxiſſe, qui, viribus integri et ad ſobolis procreatio-nem apti, ob prioris matrimonii taedium, vel alias ob cauſ-ſas, ſecunda fugiebant vota.

§. V.

Excutientibus iam nobis vetuſta monumenta, num et caelibes, et ſerotini coniugii reos, et viduos iisdem poenis, quas mox recenſebimus, affecerit magiſtratus Laconicus, ni-hil prorſus occurrit, unde id plane queamus cognoscere. E-quidem, *ἀγάμοις* eas fuiſſe conſtitutas, diſerto veterum ſcri-ptorum teſtimonio extra dubitationis aleam omnem poni ſentio. Num vero ad *ὀψιγάμους* etiam atque in viduitate permanentes ſpectaverint, id, tacente antiquitate, praeciſe neque negaverim, neque affirmaverim. Non affirmaverim, quoniam, qui ſero ad uxorem ducendam animum appellit aeque, ac viduus, qui ex prima coniuge liberos iam ſuſce-pit, non adeo graviter in rempublicam delinquit, ac ille, qui

(o) Loc. citat. pag. 109.

qui liberis procreandis ſe republ. commodis ſerviturum praefracte negat, adeoque merito graviore, quam illi, afficitur poena. Idem tamen haud iverim inficias, partim ob ſummum legum Spartanarum rigorem, partim vero propterea, quod populi huius, armis deditiſſimi, maximi intererat, civitatem habere quam numeroſiſſimam, quod ὀψίγαμοι et vidui non minus, quam ἄγαμοι impediebant. Quicquid vero huius fuerit rei, ſubinde inter Lacones reperiebantur quidam, τρεσάντων appellati nomine, quos ob caelibatus crimen adeo non puniendos eſſe cenſuerat legislator, ut potius probroſum pronunciaverit illorum alicui filiam collocare. Teſtem iſtius moris habemus PLVTARCHVM, qui ceteras etiam huius hominum generis poenas enumerat (p): Τρέσαντες οὐ μόνον ἀρχῆς ἀπείργονται πάσης, ἀλλὰ καὶ δοῦναί τινι τούτων γυναῖκα καὶ λαβεῖν, ἄδοξόν ἐστι. παίει δὲ ὁ βουλόμενος αὐτοὺς τῶν ἐντυγχανόντων. οἱ δὲ καρτεροῦσι περιϊόντες αὐχμηροὶ καὶ ταπεινοὶ, τρίβωνάς τε προσερραμμένους χρώματος βαπτοῦ φοροῦσι, καὶ ξυρῶνται μέρος τῆς ὑπήνης, μέρος δὲ τρέφουσι. *Treſantes non ſolum omnibus arcentur magiſtratibus, ſed et illorum alicui dare uxorem, aut ab illis accipere ignominioſum eſt. Pulſandi eos quiuis, qui in eos inciderit, ius habet. Illi tolerant, ſqualidi & demiſſi circummeantes in laenis pannoſis, colore infectis. Barbam partim radunt, partim promittunt.* Deſcendit τρέσας a τρεῖν, quod, uti, praeter PHOTIVM meum ineditum, obſervant HESYCHIVS (q), SVIDAS (r) et uterque Homeri ſcholiaſtes, eo nomine a IO. BRODEAEO (s) laudatus, ſonat φοβεῖν, φυγεῖν, *metuere*, *fugere*. Deſignabant eo vocabulo Spartani hominem timidum et ignavum, qui aciem, vel caſtra fuga foeda reliquerat; id quod docere poterit quemvis ERYCII in Lacaenam, quae filium, ex bello, abiectis armis, domum re-

 ver-

(p) In *Vita Ageſilai*, pag. 612. F.

(q) Vocabulo, τρέσαι.

(r) Voce, τρέσας.

(s) In *Notis ad Antholog. Graec.* lib. III. cap. V. pag. 289.

verſum, haſta transverberaverat, epigramma (t), cuius, quod huc ſpectat, initium apponere non piget:

Ἀνίκ' ἀπὸ πτολέμου τρέσσαντά σε δέξατο μήτηρ
Πάντα τὸν ὁπλιστὴν κόσμον ὀλωλεκότα.

Quum ex bello trepide fugientem te excepiſſet mater,
Omni militari ornatu amiſſo.

Quam de Treſantibus, coniugio arcendis, legem quum ferendam cenſerent Spartani, qui ſalutem reipublicae armis et virtute civium ſuorum unice propemodum niti volebant, procul dubio in animo habuerunt contrarium eius, quod Lyricus Venuſinus canit (u):

Fortes creantur fortibus et bonis,
Eſt in iuvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Veriti ſcilicet, ne effeminati illi liberos ſuſciperent, ſi minus timidiores parentibus, ſaltem his ſimiles, atque ſic, aucta timidorum turba, civitas periclitaretur, non ſolum Treſantes, niſi iam ante turpem ipſorum fugam duxiſſent uxores, coniugio prohibuerunt, ſed ignominiam quoque illis ſunt minati, qui filias fugacibus iſtis nuptum eſſent conceſſuri.

§. VI.

In enumeratione poenarum, quibus caelibatum vindicandum ſtatuit legum Laconicarum lator, auctorem quidem potiſſimum ſequemur PLVTARCHVM, qui earum plerasque, diligenter annotatas, ad noſtra transmiſit tempora. Sed ita hoc in negotio verſabimur, ut leviora gravioribus praemittamus ſuppliciis, ſingulorumque indagare ſtudeamus cum naturam, tum rationes. Primo itaque loco mentionem nos facere oportet legis, ſancientis, ut caelibes conſeneſcentes non

(t) *Antholog. Graec.* loc. cit.

(u) Lib. IIII. oda 4. v. 29. ſqq.

non eo honoris obſervantiaeque cultu afficerentur a iuvenibus, quo hi omnes aetate grandiores proſequi iubebantur; quemadmodum ex his laudati modo Chaeronenſis philoſophi verbis intelligitur (x): *Λύκουργος τιμῆς καὶ θεραπείας, ἣν νέοι πρεσβυτέροις παρεῖχον, ἐστέρησε. Lycurgus honore et cultu, quem ſenioribus adoleſcentes debent, privavit caelibes.* Idem alio quoque loco tabulae huius meminit, ſimulque, quibus rebus adductus Lycurgus eam fixerit, non obſcure indicat (y). *Οἱ ἄγαμοι τιμῆς καὶ θεραπείας, ἣν νέοι πρεσβυτέροις παρεῖχον, ἐστέροντο. ὅθεν καὶ τὸ πρὸς Δερκυλλίδαν ῥηθὲν οὐδεὶς ἐμέμψατο, καίπερ εὐδόκιμον ὄντα στρατηγόν. ἐπιόντι γὰρ αὐτῷ, τῶν νεωτέρων τὶς ἕδρας οὐχ ὑπεῖξεν αὐτῷ, εἰπὼν, Οὐδὲ γὰρ ἐμοὶ σὺ τὸν ὑπείξοντα γεγέννηκας. Caelibes honoris erant et obſervantiae, quam praeſtabant ſenibus iuvenes, expertes. Quare, quod exprobratum Dercyllidae fuit, licet inclyto duci, nemo reprehendit: cui intervenienti non ceſſit adoleſcens ſubſellio, adiiciens: Neque enim tu mihi eum, qui ceſſurus ſit, ſuſtuliſti.* Lacedaemone igitur iuvenum nemo extra coniugium aetatem agere volentibus, quum in publicum prodirent, aſſurgebat, nemo de via decedebat, nemoque dictis eorum erat obediens, nec quisquam parentum loco eos venerabatur, quippe quibus officiis ſenes a Laconica iuventute fuiſſe proſequendos, idem PLVTARCHVS (z) prodidit memoriae. Veritate ſi eſt fundatum, quod veteres nonnulli, a NIC. CRAGIO (a) ad teſtimonium dicendum excitati, perhibent, Lycurgum legum ſuarum non paucas mutuatum eſſe ab Aegyptiis: credere fas erit, memoratam quoque tabulam de ſenioribus parentum loco habendis honorandisque Lacedaemonem migraſſe ex Aegypto; quandoquidem et huius regionis habitatores idem egregium plane inſtitutum uſurparunt; ſicuti diſcimus ex HERODO-

(x) In *Laconicis apophthegm.* pag. 227. F.

(y) In *Vita Lycurgi*, pag. 48. C.

(z) De *Inſtitut Laconicis*, pag. 238.

(a) Lib. III. cap. I.

TO, qui *συμφέρονται*, inquit (b), *καὶ τόδε ἄλλο Αἰγύπτιοι Ἑλλήνων μούνοισι Λακεδαιμονίοισι. οἱ νεώτεροι αὐτέων τοῖσι πρεσβυτέροισι συντυγχάνοντες, εἴκουσι τῆς ὁδοῦ, καὶ ἐκτράπονται. καὶ ἐπιοῦσι, ἐξ ἕδρης ὑπανιστέαται. Congruunt in hoc cum ſolis Graecorum Lacedaemonibus Aegyptii, quod minores maioribus natu obvii cedunt via ac deflectunt, advenientibusque e ſedili aſſurgunt.* Idem ſolemne, ut aetate maiores a minoribus colerentur, ſervare debuerunt, qui propinqua cognatione attigiſſe dicuntur. (c) Lacedaemonios, Iſraelitae, videnturque his perinde, ac illis hanc conſuetudinem tradidiſſe Aegyptii, ſiquidem eam, quae eſt ſententia IO. CLERICI (d), auctoritate divina roboravit Moſes (e): מפני שיבה תקום והדרת פני זקן ויראת מאלהיך: *Coram canitie ſurges, honorabis vultum ſenis et revereberis Deum tuum.* Quid? quod Romani etiam, ut armorum ſtudio virtuteque bellica, ſic etiam honoribus, ſenectuti habendis, Laconicam gentem imitati ſunt, teſte A. GELLIO (f): *Apud antiquiſſimos Romanorum neque generi, neque pecuniae praeſtantior honos tribui, quam aetati ſolitus: maioresque natu a minoribus colebantur ad deûm prope et parentum vicem; atque omni in loco, inque omni ſpecie honoris, priores potioresque habiti. A convivio quoque, ut ſcriptum eſt in antiquitatibus, ſeniores a iunioribus domum deducebantur, eumque morem accepiſſe Romanos a Lacedaemoniis traditum eſt: apud quos, Lycurgi legibus, maior rerum omnium honos maiori aetati habebatur.* Antiquitatis Romanae monumenta, quae teſtatur GELLIVS, non eo debent exponi ſenſu, ac ſi saepius memoratum inſtitutum Decemviri demum, cum aliis legibus Laconicis, Romam apportaverint. In contrariam enim qui ibunt ſententiam, eos metuo, ut memoratorum a GELLIO annalium fidem ſartam te-

ctam

(b) In *Euterpe*, cap. LXXX.

(c) 1 *Maccab.* XII, 21.

(d) In *Commentar. ad Levitic.* locum mox citand.

(e) *Levitic.* XVIIII, 32.

(f) *Noct. Atticar.* lib. II. cap. 15.

ctam queant conſervare; exoriturque mihi hic timor ex conſcientia eorum, quae apud probatae auctoritatis ſcriptores reperi de conſuetudine potiorem honorem aetati deferendi, diu ante Decemvirorum aevum apud Quirites, immo priusquam hoc appellarentur nomine, obſervata. Sic enim OVIDIVS (g) canit:

- - - Finitaque certis
Legibus eſt aetas, unde petatur honos.
Et medius iuvenum, non indignantibus ipſis,
Ibat: et interior, ſi comes unus erat.
Verba quis auderet coram ſene digna rubore
Dicere; cenſuram longa ſenecta dabat.
Romulus hoc vidit etc.

Et in popularium ſuorum inſtitutis antiquiſſimis idem collaudat Romae corruptae acerrimus cenſor, IVVENALIS (h):

Credebant hoc grande nefas, et morte piandum,
Si iuvenis vetulo non aſſurrexerat, et, ſi
Barbato cuicunque puer, licet ipſe videret
Plura domi fraga, et maiores glandis acervos.
Tam venerabile erat praecedere quatuor annis.

§. VII.

Altera, qua averſos a coniugio mulctari leges Laconicae iubebant, poena haec erat, quod illos intereſſe vetabant ludis, quibus Lacaenae virgines, nudatis corporibus, publice nunc Athleticis exercitiis dabant operam, nunc certaminum edebant documenta. Producimus et huius rei teſtem locupletem PLVTARCHVM (i), cuius haec ſunt: Ἔιρξας τοὺς ἀγάμους τῆς ἐν ταῖς γυμνοπαιδίαις θέας, καὶ ἀτιμίαν προσθεὶς, πολλὴν πρόνοιαν ἐποιήσατο τῆς παιδοποιΐας. *Interdicens ludorum nudorum ſpectaculis caelibes, addensque ignominiam, accurate providit,*

(g) *Faſtorum* lib. V. v. 65. ſqq.
(h) *Satyra* XIII. v. 54. ſqq.
(i) In *Apophthegmat. Lacon.* loc. citat.

vidit, ut cives liberis procreandis darent operam. In plerisque omnibus Graeciae antiquae regionibus virgines, arcte cuſtoditae, lanae linoque admovebant manus, et, uti rarenter admodum prodibant in publicum, ſic adhuc rarius veniam impetrabant pila ludendi: cuius moris mentionem, praeter HOMERVM (k), facit etiam VIRGILIVS. (l) Laconicarum contra legum conditor, quo ſeverior fuit in aliis cauſſis, eo mitiorem ſe in virgines praebuit. Non ſolum enim innuptis mulieribus retecta facie, quod alibi piaculum erat, extra aedes verſari permiſit, ſed easdem etiam exerceri voluit omnibus certaminum generibus, quibus adoleſcentes, ad futurum belli uſum, inſtituebantur. Sunt inter ſcriptores antiquos non pauci, qui virginum Lacaenarum certamina, toto orbe priſco celeberrima, recenſent, ex quibus tamen unicum nobis teſtem excitaſſe ſufficiat, PROPERTIVM (m), qui ſequentem illorum catalogum contexuit:

Multa tuae, Sparte, miramur iure palaeſtrae,
Sed mage virginei tot bona gymnaſii:
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros:
Quum pila veloci fallit per brachia iactu,
Increpat et verſi clavis adunca trochi.
Pulverulentaque ad extremas ſtat femina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio.
Nunc ligat ad ceſtum gaudentia brachia loris,
Miſſile, nunc diſci pondus in orbe rotat.
Gyrum pulſat equis, niveum latus enſe revincit,
Virgineumque cavo praetegit aere caput. etc.

Eruditorum nonnulli, ADR. TVRNEBO (n) aſſenſi, ex eo, quod PROPERTIVS in certaminibus Laconicis numerat etiam

(k) *Odyſſ.* ζ'. 100.
(l) In *Ciri*, v. 149.
(m) *Lib.* III. eleg. 12. v. 1. ſeqq.
(n) *Adverſariorum Lib.* XXXVII. cap. 8.

iam pancratium et ceſtum; haec vero corporis exercitia peculiari Lycurgi lege, apud PLVTARCHVM (o) hodieque obvia, fuerunt interdicta, promtum fieri putant, poetam amorum potius, quam Spartanorum noviſſe leges. Alii vero, ut Callimachi Romani peroraſſe videantur cauſſam, ipſius aetate memorata aera iam fuiſſe refixa, praetendunt. Quemadmodum autem contra hos militant diſerta SENECAE (p) verba, quibus affirmat, nec dum ſua tempeſtate fas fuiſſe Lacedaemoniis caeſtu, aut pancratio decernere: ita etiam a me impetrare prorſus nequeo, qui, cum TVRNEBI aſſeclis, turpis erroris poſtulem poetam, quippe quem inſtituta Laconica, quae profecto pervulgata erant et toto orbe antiquo notiſſima, ignoraſſe, a veri abhorrere videtur ſimilitudine. Placet mihi potius, quod ingenioſiſſimo IAN. BROVKHVSIO (q) placuiſſe reperio, PROPERTIVM nempe, pro quidlibet fingendi poteſtate, poetis aeque, ac pictoribus conceſſa, finxiſſe puellas Lacaenas pancratio quoque et caeſtu dimicantes. Quaecunque vero fuerint virginum iſtarum exercitia palaeſtrica, non ſufficiebat ea fideliter didiciſſe, niſi et eorundem, longo uſu comparatam, peritiam popularibus publice probaſſent puellae; quas eum in finem oportebat diebus feſtis, in deorum honorem, exercitiorum edere documenta; ſicuti docemur exemplo undecim illarum virginum, quas propterea, quod quotannis, die Baccho ſacra, curſu certabant, Διονυσιάδας appellatas eſſe, referunt PAVSANIAS (r) et HESYCHIVS (s). Informandus autem Lacedaemone erat ſexus ſequior omnibus certaminibus, quibus iuvenes, ad futurum belli uſum, inſtituebantur, eo potiſſimum fine, ut mulierum quoque corpora firmarentur in maximum publicae rei commodum. Sic enim ſpes erat minime levis, feminas, laboribus probe exer-

(o) *Apophthegmat. Laconic.* pag. 189. E.
(p) *De Benefic.* Lib. V. cap 3.
(q) *In Notis ad Propertii* loc. citat.
(r) In *Laconicis*, cap. XIII. pag. 239. edit. Kühnii.
(s) Vocabulo, Διονυσιάδες.

exercitas et ad omnem patientiam induratas, non ſolum validos concepturas liberos partusque dolores felicius eſſe ſuperaturas, ſed etiam, poſtulante neceſſitate, pro aris et focis perinde ac viri pugnaturas (t). Quaerenti, cur integumentis nudatae mulieres cum in gymnaſiis, tum theatris verſari debuerint, ego quidem duplicem huius moris fuiſſe reſponderim rationem. Harum alteram ego ſitam puto in lege Spartanorum Athletica, THVCYDIDI (u) memorata, ſecundum quam omnes decertare oportebat nudos, ſed non ſine ſubligaculo, ut et pudor, et honos ſeruaretur oculis. Alteram vero fuiſſe reor, ut, venuſtate et pulcritudine corporis publice oſtenſa, virgines eo faciliori opera viros invenirent; ſicuti easdem hanc ipſam ob cauſſam retecta facie, contra reliquorum Graecorum omniumque ſolem orientem ſpectantium populorum morem, in publicum prodire debuiſſe, Charilaus, Spartanorum princeps, perhibet (x). Rationem quidem huius inſtituti toto caelo a modo indicata diverſam ipſe reddit Lycurgus: quam vero ubi ex PLVTARCHO (y) cognoveris, non dubito, quin cum NIC. SIENICIO (z) dicturus ſis frivolam. Sed, quibus rebus permotus idem legislator a virginalibus ſpectaculis ſevere amovendos eſſe cenſuit caelibes? Qui animum potuit inducere, iſtud hominum genus, quod ſexum pulcriorem deſpiciebat deſpectumque fugiebat, aegre laturum, ad ea non admitti loca, ubi virgines, nuptias ambientes, exercebantur? Admittendi potius erant caelibes ad gymnaſia circosque, ut dicteriis, quibus virgines, dum exercebantur, petebant ſpectatores horumque perſtringebant vitia (a), ſuos quoque oſores ad meliorem frugem reducerent, atque ad matrimonium ineundum im-

(t) Vid. PLVTARCHI *Laconica apophthegm.* pag. 227. D.
(u) De *Bello Peloponneſiac.* lib. I. pag. 7. edit. Dukeri.
(x) Vid. NIC. CRAGIVS lib. ſaepius iam citato, pag. 264.
(y) In *Vita Lycurgi*, pag. 48. B.
(z) De *Republic Lacedaemoniorum*, lib. II. cap. 9. pag 381.
(a) Vid. PLVTARCHVS *in vita Lycurgi*, loco modo citato.

impellerent. Solvit hunc nodum, qui memoratam caelibatus pœnam ad noſtra transmiſit tempora, plus vice ſimplici laudatus PLVTARCHVS, dum addit, cum iſta *μισογυνῶν* a ſpectaculis excluſione coniunctam fuiſſe ignominiae maculam. Ac certe, qui inter Lacedaemonios legibus non parebat, ſed eas, ut matrimonii oſor, ſusque deque habebat, eaque propter flagitioſus reputabatur homo, eum *σύσκηνον*, verba ſunt XENOPHONTIS (b), *παραλαβεῖν, ἢ ἐν παλαίσματι συγγυμναστήν*, *in idem contubernium, vel ad eadem in luctis exercitia admittere*, nefas erat maximum.

§. VIII.

Neque ſic ſatis poenarum pependerant caelibes; ſed erant praeterea nova eademque inſigniori dedecoris macula notandi. Certa nempe anni tempeſtate, omnibus ſpoliati veſtibus, per forum circumducebantur, omnium exponendi ludibrio; idque, ſi ſummo magiſtratui ita videretur, quotannis iterabatur. Vt ceteras omnes, quas hactenus recenſuimus, caelibatus pœnas, ita et hanc ab oblivione vindicavit Chaeronenſis philoſophus. *Τοῦ χειμῶνος*, inquit ille (c), *οἱ μὲν ἄρχοντες τοὺς ἀγάμους ἐκέλευον ἐν κύκλῳ γυμνοὺς περιϊέναι τὴν ἀγοράν*. *Tempore hiberno, ex magiſtratus edicto, caelibes cogebantur forum veſtibus ſpoliati obire.* Ego quantum auguror nomine magiſtratus, iuſſu cuius in caelibes hac ratione animadvertebatur, PLVTARCHVS eos deſignat quinque viros, qui ſummum ferme in republica Laconica tenebant gradum et, ut SVIDAS (d) loquitur, *διὰ τὸ ἐφορᾷν τὰ τῆς πόλεως πράγματα*, *propterea, quod publica civitatis negotia inſpiciebant*, Ἔφοροι appellabantur. Neque haec, in quam diſceſſi, ſententia mera nititur coniectura, ſed ſunt, quae eam veri admodum reddunt ſimilem. Penes Ephoros enim ſolos disciplinae erat cuſtodia, poteſtasque bene de re commu-

 ni

(b) De *Republ. Lacedaemon. Opp.* pag. 684. B.
(c) In *Vita Lycurgi*, loc. cit.
(d) Voce, Ἔφοροι.

ni meritis diſtribuendi praemia, et contra verberibus aliisque animadverſionibus coercendi eos, quos patriae inſtituta negligere, nec legibus videbant obedientes. Praeterea, eo ipſo in foro, quod obire oportebat a matrimonio abhorrentes viros, curia erat, in qua de negotiis, ad remp. pertinentibus, conſultabant iudiciaque exercebant Ephori; id quod PAVSANIAS (e) nos docet. Quod ad tempus attinet, quo hocce ſeverioris diſciplinae ſuae ſpecimen edere debuerunt Ephori, indicat illud PLVTARCHVS generali χειμῶνος nomine, quod uti omnem comprehendit hiemem, ita nemo facile dixerit, quo praeciſe menſe, aut die caelibes iſtam acerbam pompam debuerint inſtituere; praecipue quum alia vetuſtatis monumenta hac de re omnino taceant. Non poſſum igitur non divortium facere cum Latino Plutarchi interprete, perperam cenſente, huic negotio brumam fuiſſe praefinitam. Eundem erravit errorem NIC. CRAGIVS (f), de reſtituenda re Laconica ceteroquin optime meritus, ac praeterea credidit hanc pœnam ſolviſſe caelibes eo ipſo die, quo annum inchoabant Lacedaemonii novique Ephori (horum enim magiſtratus non niſi annuus erat) ſolemni ritu inaugurabantur. Vtrumque quidem bruma, ſ. die ſolſtitii hiemalis contigiſſe his, quae apponimus, THVCYDIDIS verbis (g) conatus eſt firmare: *Τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος (ἔτυχον γὰρ Ἔφοροι ἕτεροι, καὶ οὐχ ἐφ' ὧν αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο, ἄρχοντες ἤδη κ. τ. λ. In ſequenti hieme (iam enim alii Ephori magiſtratum gerebant; nec erant ii, quibus magiſtratum gerentibus fœdera percuſſa fuerant* etc. Verum, etiamſi largiremur, voculam χειμὼν hic per *brumam* eſſe reddendam: tamen adeo lynceis inſtructi non ſumus oculis, qui inde, quod vult CRAGIVS, queamus exſculpere. Et, ſi in hanc viri docti ſententiam faceremus disceſſionem, iure meritoque craſſi argueremur erroris. Ita enim ſtatuentes contra veterum niteremur diſerta teſtimonia, quo-

(e) Lib. citat. cap. XI. pag. 231.
(f) Loc. citat. pag. 218.
(g) Lib. V. pag. 339.

quorum auctoritate, Lacedaemonios aeſtate inclinante, vel incipiente autumno, et novum annum eſſe auſpicatos, et novos creaſſe Ephoros, confecit dudum IACOB. PALMERIVS (h), aſſenſorem nactus diligentiſſimum pariter, ac acutiſſimum chronologum, HENR DODVVELLVM (i), qui inſuper docet, utrique negotio diem Octobris octavum fuiſſe praefinitum. Quae quum ita ſint, eſt utique veritatis amantis, eas deſerere partes atque generatim ſtatuere, caelibes quocunque tempore hiberno, quo Ephoris libuerit, triſti pompa procedere in forum debuiſſe, partim, ut magnae hominum multitudini, quae in illud nunc otiandi (k), nunc concionis habendae (l) ergo confluxerat, eſſent riſui, partim vero, ut iuvenibus, turbae immixtis, praeberent exemplum, unde cautius illi mercari diſcerent. Ceterum, hiberno tempore hanc pœnam exigi voluiſſe videtur legislator, ut, qui caſti amoris flammas omni opera exſtinguere annitebantur, eorum corpora adurerentur frigore, quod ut eo eſſet intolerantius, veſtibus ſpoliati, non ſine ingenti ignominia, tunc in publicum prodire cogebantur caelibes.

§. VIIII.

Accedebat ad recenſitam modo pœnam ſolemnis delicti confeſſio et praedicatio iudicum publica, quod aequam et iuſtam tuliſſent ſententiam; cui animadverſioni, quod eam hactenus enumeratis acerbiorem arbitramur, quartum hoc in catalogo aſſignamus locum. Solent enim facinoroſi homines non niſi aegerrime de ſuis confiteri peccatis, quod falſam ſibi perſuaſionem induunt, fore multos, qui, ipſis ſilentibus, aut plane negantibus crimen, credant, ipſos innocentes eſſe condemnatos. Eo ſcilicet tempore, quo civium, in foro commorantium, ludibrio exponebantur caelibes, opor-

(h) In *Exercitatt. in optimos auctores Graecos*, pag. 52.
(i) In *Annalibus Thucydid.* ad an. XI. bell. Pelonnes.
(k) Conf. NIC. CRAGIVS lib. citat. pag. 322. ſq.
(l) Vid. PAVSANIAS *in Laconicis*, cap. XII. pag. 237.

oportebat eos aperte praedicare, nuptias legitimas ſugiendo culpam ſe ſuſcepiſſe haud levem, adeoque iure meritoque puniri et ab univerſa rideri concione; quae ut eo rectius intelligeret crimen confitentes, hi carmen, eum in uſum confectum, modulata altaque voce recitabant. Et huius quoque animadverſionis teſtem producimus PLUTARCHUM, qui verbis, ſuperiori §. recitatis, ſequentia ſubiungit: Περιϊόντες ἄγαμοι ᾖδον εἰς αὐτοὺς ᾠδήν τινα πεποιημένην, ὡς δίκαια πάσχοιεν, ὅτι τοῖς νόμοις ἀπειθοῦσι. *Circulantes caelibes cantilenam, in ſe compoſitam, concinebant, merito ita puniri ſe, quod non parerent legibus.* Equidem, quantum priſci recentiorisque orbis inſtituta commemorando renovare poſſum, praeter Laconicam, novi gentem nullam, quae eum in uſum converterit poeticam artem, ut illa plexerit ſontes hosque adegerit ad criminis confeſſionem ligatam et cantando recitandam. Id contra pulcre memini, apud Spartanos ei uſui frequenter admodum inſerviiſſe cum poeſin, tum muſicam. Sic, iuſſu Lycurgi, qui cives ſuos pleniſſime vetuerat alia pangere carmina, quam quibus laudarentur virtutes vitiorumque depingeretur fœditas, iuvenem, in quodam delicto deprehenſum, ἔδει, verba ſunt eiusdem Chaeronenſis philoſophi (m), βωμόν τινα τῶν ἐν τῇ πόλει κύκλῳ περιϊέναι, ψόγον ᾄδοντα πεποιημένον εἰς ἑαυτόν. ὅπερ ἦν οὐδὲν ἕτερον ἢ ἐπιπλήττειν αὐτὸν ἑαυτῷ. *Oportebat aram quandam, in urbe ſitam, in orbem circuire compoſitumque ſui ipſius vituperium cantare; quod nihil erat aliud, quam ipſum a ſe ipſo obiurgari.* Similiter Helotes, quos, armis victos, ſempiternae addixerant ſervituti Lacones, quotiescunque libebat dominis, cantilenam debebant, modulari, qua maioribus ſuis convicia faciebant grandia, quod bellicoſiſſimis Spartanis adverſari fuerint auſi eoque effecerint, ut omnes ipſorum poſteri duriſſimo ſervitutis iugo premerentur: quo de argumento alia occaſſione iam olim dataque opera ſumus commentati (n). Plura procul dubio iſtius

---

(m) In *Laconic. inſtitut.* pag. 237. C.

(n) In *Diſſert. de Helotibus, Lacedaemoniorum ſervis*, cap. II. §. 6.

ſtius moris exempla hic conſideranda poſſemus proponere, ſi pro legum conſuetudinumque Laconicarum conſervatione tanta vigilantia excubaſſent ſuperiorum ſaeculorum homines, quanta induſtria ad eas abolendas incubuiſſe nunc dolemus tempus rerum edax, quod non niſi perpaucas easque partim obſcuras, partim mancas, alias etiam corruptas noſtrae aetati contemplandas reliquit.

§ X.

Etiamſi autem, quas hactenus enumeravimus, in caelibatu viventium afflictiones iam ſatis graves debebant iudicari: tamen, ut nihil prorſus abeſſet, quin illud hominum genus vitam degeret miſerrimam, quatuor, ſupra commemoratis pœnis, quinta adiungebatur eademque, ut videtur, omnium acerbiſſima. Nam, in illud ipſum trudendi erant malum caelibes, quod matrimonium fugiendo, ſi non omnes, plerique ſaltem, evitare voluerant, γυναικοκρατίαν nempe, quae tanta Lacedaemone erat, ut mulieres, quarum mores nullis ferme legibus circumſcripſerat Lycurgus, teſtibus ARISTOTELE (o) et PLATONE (p), non ſolum in familias dominarentur, ſed ſubinde etiam, magna animi confidentia, ad publicae rei accederent adminiſtrationem. Ne igitur ſoli gloriarentur caelibes, nihil ad ipſos pertinere muliebre imperium, indignum plane in modum tractabantur a fœminis, quippe quae ipſos, die quodam feſto, circum aram tractos, flagris duriſſime obiurgabant, ut, ſi hanc contumeliam et dominationem plane tyrannicam in poſterum vellent vitare paulloque mitius tractari, ſeſe quantocyus adiungerent uxoribus. Servatam huius conſuetudinis memoriam debemus ATHENAEO, qui, teſtatus CLEARCHUM, *Solenſem*, ſcribit (q): Ἐν Λακεδαίμονι τοὺς ἀγάμους αἱ γυναῖκες ἐν ἑορτῇ τινὶ περὶ τὸν βωμὸν ἕλκουσαι ῥαπίζουσιν, ἵνα τὴν ἐκ τοῦ πράγματος ὕβριν φεύγοντες, φιλα-

(o) *Politicorum* lib. II. cap. 9.
(p) *De legibus* lib I. pag. 780.
(q) *Deipnoſoph.* lib. XIII. pag. 555. C.

φιλοςοργῶσί τε καὶ ἐν ὥρᾳ προσίωσι τοῖς γάμοις. Lacedaemone mulieres, quodam die feſto, caelibes viros circum aram trahentes flagris caedunt, ut, indignitatem eius contumeliae peroſi, liberos ac prolem tollere cuperent, et tempeſtive adungerent ſeſe uxoribus. Quemadmodum ATHENAEI codicem extare memini nullum, quin Lacedaemone iſtam pœnam de legitimi matrimonii oſoribus ſumtam eſſe perhibeat: ita IVST. GEORG. SCHOTTELIVS (r), dum, nixus auctoritate GEORG. SCHOENBORNERI (s), adfirmavit, Athenis id legibus fuiſſe receptum, ſuo docet exemplo, quanti periculi res ſit, ſpretis fontibus limpidis, rivulos adire turbulentos, vel potius lacunas. In eo autem SCHOTTELIVS et, quem ſequitur auctorem, SCHOENBORNERVS recte ſentiunt, quod flagris caelibes laceraſſe Lacaenas aiunt; ſic propius, noſtro iudicio, ad veritatem accedentes, quam IACOB. DALECHAMPIVS, Latinus Athenaei interpres, qui ῥαπίζειν per *colaphis caedere* reddidit. Nam nullus dubito facere cum THEOD. BEZA (t) et HENR. STEPHANO (u), contendentibus, ῥαπίζειν de illis ſolis uſurpari, qui fuſte, aut virgis quempiam feriunt; licet hanc ſententiam infringere aggreſſus fuerit IO. MICH. DILHERRVS (x), exquiſita ſua eruditione philologica clarum et nobile nomen conſecutus. Pro illis enim militat origo huius verbi, quod nemo non intelligit deſcendere a ῥαπὶς, id eſt, SVIDA (y) teſte, ῥάβδος, *baculus, virga*; unde Mercurius toties HOMERO (z) audit χρυσόῤῥαπις, *auream virgam ferens.* Praeterea adſtipulantur laudatis duumviris ad unum omnes probae Graecitatis ſcriptores profani, quippe quibus ῥαπίζειν nunquam non denotat *virgis*

(r) *De ſingularibus et antiquis in Germania iuribus et obſervatis*, cap. I. pag. 23.
(s) *Politic.* lib. I. cap. 5.
(t) In *Notis ad Matth.* V, 39. et *Marc.* XIIII, 65.
(u) Vide *Indicem in Theſaur. ling. Graec.* voce Ῥαπίς.
(x) *Diſputationum Academicarum* Tom. II. pag. 19. ſqq.
(y) Vocabulo, Ῥαπίς.
(z) *Odyſſ.* ε. 87. κ. 277. 331. et in *Hymnis* paſſim.

gis caedere. Soli ſacri novi foederis auctores (a), et, qui horum preſſiſſe veſtigia videntur, SVIDAS (b) atque nonnulli coetus Chriſtiani antiquioris antiſtites (c) ſubinde memorato verbo eam ſubiiciunt notionem, ut per *alapas infligere* verti debeat; atque horum auctoritate ſola contra BEZAM et STEPHANVM pugnat DILHERRVS. Tanto autem lubentius in verbis Athenaei, de quibus hic diſputamus, τὸ ῥαπίζειν proprio ſuo et uſitatiori ſenſu mecum interpretabuntur eruditi, quo eſſe debet pervulgatius, Lacones in verberationibus ſuis, non pugnos, ſed flagella adhibuiſſe. Sic nempe, teſte PLVTARCHO (d), pueros, ſtato die, iuxta aram Dianae Orthiae ad necem usque contuderunt fuſtibus, ut longa patientia occallerent. Quid? quod flagris caedere ſontes adeo proprium fuit Lacedaemoniis, ut LVCIANVS (e) inter variorum populorum inſignia ipſis flagrum attribuat, et EVSTATHIVS (f) idem inſtrumentum rebus Lacedaemoniorum inprimis memorabilibus annumeret. Supereſt, ut tempus etiam indagemus, quo Lacaenae flagris obiurgarunt caelibes; quod quamvis generatim ATHENAEVS dicat factum *die quodam feſto*: coniectando tamen aſſequi licebit. Fecit iam rei huius periculum IOH. FASOLDVS (g); ſed ſucceſſu admodum infelici. Dum enim caelibes fuſtibus ſubiectos contendit ἑορτῇ Λακεδαιμονίων, non attendit ſubiunctam voculam τινὶ, quae dubitare ſinit neminem, iſtud nomen appellativum potius eſſe, quam proprium. Propius, niſi nos fallunt omnia, a vero aberrabimus, ſi dicimus, eo ipſo die in ſexus ſequioris oſores fuiſſe ſaevitum, quo Lacaenae, quae filias domi alebant, Veneri Iunoni pro gnatarum

(a) Vid. IO. CHRISTOPH. WOLFII *curae philolog.* Tom. I. p. 387.
(b) Voce, Ῥαπίσαι.
(c) Conf. IOH. CASP. SVICERI. *Theſaur. eccleſiaſt.* Tom. II p. 901.
(d) *Inſtitut. Laconic.* pag. 239.
(e) In *Icaromenippo, Opp.* Tom. I. pag. 696. edit. Henr. Petri.
(f) Ad. *Iliad.* Έ. pag. 222. Conf. et pag. 30.
(g) In *Graecorum veterum* ἱερολογία, pag. 132.

tarum nuptiis maturandis proſperandisque ſacra faciebant; licet PAVSANIAS (h), apud quem haec relata legimus, haud indicet, in quam anni tempeſtatem illa inciderit ſolemnitas. Hoc certe tempus religioſum quemadmodum propterea fuit celebratum, ut matres a nuptiarum praeſide et conciliatrice filiabus ſuis maritos impetrarent, eosque bonos: ſic conveniebat utique, eadem feſtivitate in eos animadvertere, qui, quod matrimonium inire recuſabant, matronarum vota ſtudebant facere irrita.

§. XI.

Haud multum in veteri verſatus Lacedaemone memorque, priſci orbis populos plerosque coniugalis amoris odium mulcta inprimis pecuniaria vindicaſſe, procul dubio mirabitur, cur iſtius regionis proceres ferme ſoli ignominia tantum corporisque poenis cogere voluerint cives ſuos ad ſobolem procreandam. Nullam contra haec iuris Laconici et Attici, Romani Germanicique differentia mirationem ei movebit, qui naturam reipublicae, a Lycurgo conditae, paullo penitius habet perſpectam. Hunc enim minime fugiet, mulctam exigi nequiviſſe a Lacedaemoniis, quippe qui, ex legis praeſcripto, pecunia propemodum vacui eſſe debebant. Lycurgus nempe, tot gentium triſti edoctus exemplo, regna, quae in paupertate maxime floruerant, auctis opibus a ſummo et potentiae, et felicitatis faſtigio ad interitum eſſe praecipitata, ne populares ſui eandem calamitatem ullo unquam tempore experirentur, ſed, ut eo diligentius virtuti litarent, eaque ratione civitatem ſuam indies redderent florentiorem, ſuſtulit ſcelerum omnium materiam, uſum nempe auri atque argenti; ſic, ut, teſte NICOLAO, apud STOBAEVM (i), ultimum conſtituerit ſupplicium iſtorum metallorum poſſeſſoribus. Vtebantur quidem Lacedaemonii numis,

(h) In *Laconicis* cap. XIII. pag. 239. 240.

(i) *Sermone* XXXXII, pag. 305.

numis, ſed ferreis, quos, quod ponderis maximi eſſent et molis haud exiguae, adeoque plus moleſtiae exhiberent, quam voluptatis, nemo magnopere ſtudebat coacervare; inprimis quum huius reipubl. civibus in victu ſummam temperantiam et frugalitatem, in veſtitu ſimplicitatem et in omnibus rebus moderationem leges imperarent, ac proinde numi parvi, immo propemodum nullius eſſent uſus (k). Non potuit igitur Lycurgus mulctae irrogatione coercere cives ſuos, quos pecuniae ſtudio nolebat vacare, quique monetam ſuam moleſtiſſimam non poterant non aſpernari potius, quam amare.

§. XII.

Expendenti iam mihi, quare tanta cum ſeveritate Lycurgus caelibatu interdixerit civibus ſuis, duas praecipue eius reperiſſe videor cauſſas. Altera, meo iudicio, fuit, ut adverſus hoſtium externorum pericula tutior redderetur reſpublica; altera vero, ut eadem civilibus bellis in fortunarum diſcrimen vocaretur nunquam. In id Lycurgum inprimis intendiſſe aciem, ut populares ſuos vicinis populis efficeret quam formiduloſiſſimos, clariſſime patet ex latis ab ipſo legibus, quae ſi minus omnes, pleraeque ſaltem eo collinearunt, ut Spartani corpore robuſti armisque ferendis exerciti eſſent, atque in acie ſtarent fortiſſime. Ἐν Λακεδαίμονι, inquit ARISTOTELES (l), καὶ Κρήτῃ πρὸς τοὺς πολέμους συντέτακται σχεδὸν ἥ τε παιδεία, καὶ τὸ τῶν νόμων πλῆθος. *Lacedaemone et in Creta cum diſciplina, tum legum multitudo ad rem militarem comparata eſt.* Quemadmodum igitur non ſola virtute reportatur victoria, ſed ad eam parandam militum quoque requiritur multitudo, hoſtisque multo certius funditur magno, quam exiguo fortium virorum numero; antiquus vero orbis milites undecunque conductos ignorabat: ita, ut patriae ſuae nunquam deeſſet validus et numeroſus exercitus, ſanxit Lycurgus, ut caelibatus coerceretur licentia civesque omnes

(k) Lege omnino XENOPHONTEM *de rep. Lacedaem. Opp.* p. 682.
(l) *De Republica*, lib. VII. cap. 2.

mnes, et quidem iuſta aetate, ad uxores ducendas animum adpellerent. Nec minus eadem tabula cavere voluit, ut bellis internis ne concuteretur reſpublica, iisque tandem labefactata ab hoſtibus plane everteretur. Probe gnarus legum Laconicarum lator, ſalutis publicae firmiſſimum eſſe fulcrum libertatis et fortunae aequationem, et in ſummum adduci periculum civitates, ubi a ditioribus pauperes libere vexantur, univerſam Laconiam in certas aequalesque diſtribuerat ſortes, ſive portiones, quarum unam ſingulis dederat familiis, ſanciens, ut quibus primum eſſent datae, iis ſemper manerent, nec plures ad unum devolverentur (m). Praevidebat autem, ſi caelibem agere vitam ſuis liceret, fore, ut familiae quaedam exſtinguerentur harumque ſortes ad alias pervenirent, ſicque uni alicui tandem affluerent divitiae, quae ad dominatum adſpirans, tumultus excitaret. Haec igitur calamitas ne unquam premeret Spartam, ſevera de caelibatu fugiendo tabula prohibere allaboravit.

§. XIII.

Sufficiat, haec ſtrictim diſputaſſe de caelibibus Laconicis miſeraque eorum conditione; quae ſingula dilucidius potuiſſent exponi, niſi tempus edax rerum monumenta aboleviſſet, ex quibus plenior huius argumenti notitia erat deſumenda. Quae apud veteres, hodie ſuperſtites, hac de re leguntur nobisque innotuerunt, ea non ex rivulis, ſed ex ipſis hauſta fontibus, attulimus fideliter, eademque pro ingenioli noſtri modulo diiudicavimus. Commentati autem haec ſumus, ut ſatisfieret honeſto deſiderio viri minime mali, typographi Iulii, qui, quum ante hos duos annos, noſtro conſilio noſtraque qualicunque adiutus opera, primum rariorum opuſculorum de antiquitatibus ſacris et profanis faſciculum iuris feciſſet publici, intellexiſſetque ſuum inſtitutum non diſplicere veris verae eruditionis cultoribus, de tela

hac

(m) Vid. NIC. CRAGIVS *de republ. Lacedaem.* lib. III. tab. 2. inſtitut. I.

hac continuanda ſerio ſtatim cogitare cœpit. Ac ſane, iam ſuperiori anno integrum faſciculum praeſentem exhibuiſſet eruditis, niſi fata, quae cogi nequeunt, meique labores alii id prohibuiſſent. Sed ſat cito prodiit hocce volumen, ſi in eo adornando ſatis recte officio noſtro nos functos eſſe iudicabunt, penes quos iudicandi hac de re poteſtas eſt et ſcientia. Neque eſt, quod vereamur, ne in hac concidamus cauſſa, ſiquidem ex opuſculorum, quae reſtituimus, pretio et raritate, auctorum vero eruditione, labor noſter eſt aeſtimandus. Argumenta enim, quae explicata hic vides, Lector Erudite, ſelectiſſima ſunt, nec trita et philologis perinde vtiliſſima, ac ipſi libelli hactenus fuerunt rarenter obvii, ipſorum autem auctores doctrinae fama florent. Quod ſi quaeſiveris, operamne hanc ſim continuaturus, equidem profiteor, non deeſſe mihi rariorum pariter atque inſignium libellorum philologicorum copiam haud parvam, de iis vero recudendis certi nihil nunc poſſum promittere. Illud tantum polliceor, ſi vitam largiatur Deus et valetudinem proſperam, me nunquam ab ornandis pro parte virili litteris bonis abfuturum. Ceterum vale, Lector Benevole, et, ſi religionem ſanam tectam, ſi ſummorum imperantium auctoritatem ſtabilitam, ſi veritatem intemeratam, hominum genus vero ſemper liberum eſſe cupis ſerio, mecum fac vota, ut litterae humaniores, quae, ante haec duo et quod excurrit ſaecula, ſacris nitorem, principibus maieſtatem, veritati ſplendorem et magno mortalium numero libertatem reddiderunt, non ſolum non intereant male ſanorum culpa, ſed etiam magis magisque effloreſcant.

DISSERTATIONVM RARIORVM DE ANTIQVITATIBVS SACRIS ET PROFANIS FASCICVLVS NOVVS.

RECENSVIT ET SCHEDIASMA

DE

IVRE CAELIBATVS APVD LACEDAEMONIOS

PRAEMISIT

IVLIVS CAROLVS SCHLAEGERVS
PHILOLOGIAE GRAECAE ET ORIENTALIS IN ACADEMIA
IVLIA PROFESSOR ORDINARIVS.

HELMAESTADII
APVD PAVLLVM DIETERICVM SCHNORRIVM
ACADEMIAE IVLIAE TYPOGR.
CIↃ IↃ CC XXXXIII.

OPVSCVLORVM
QVAE IN HOC VOLVMINE NOVO HABENTVR SYLLABVS.

I. IOH. PHILIPP. CASSELIVS *de templo Oniae Heliopolitano.* pag. 1.

II. GVSTAV. PERINGERVS *de Zabiis.* p. 49.

III. IOH. HENR. MAIVS, *F. de Zabiis.* p. 67.

IIII. IEREM. LOSSIVS *de epiſpaſmo Iudaico.* pag. 89.

V. ANDR. RIVINI διαψήφησις περὶ τῆς τοῦ πεταλισμοῦ ἰατρέιας πολιτικῆς. pag. 107.

VI. IOACH. KÜHNIVS *de lotionibus et balneis Graecorum.* pag. 161.

VII. IOH. REISKII *progr. quo nimbum divinum ex veteribus commentatur breviter.* pag. 191.

)o(

IOHANNIS PHILIPPI CASSELII
RECTOR. MAGDEBVRG.

DISSERTATIO
DE

TEMPLO ONIAE HELIOPOLITANO

IN GYMNASIO BREMENSI
PRAESIDE
THEODORO HASAEO
ERVDITORVM SVBIECTA DISQVISITIONI
CVM ALIQVOT CLARISSIMI AVCTORIS ACCESSIONIBVS NVNC RECVSA.

MENSE MARTIO CIƆ IƆ CC XXX.

DISSERTATIONIS DE TEMPLO IVDAEORVM HELIOPOLITANO (a)

CAP. I.

De Onia, exſtructore templi, eiusque familia.

ARGVMENTVM.

§. 1. Occaſio. §. 2 -3. Oniæ familia indicatur. *Balanius* quidam num auctor templi Heliopolitani? *Reineſius* notatus. § 4. Succeſſio pontificum M. poſt captivit. Babyl. alias intricata in clara luce ponitur. §. 4. Iudæorum de Onia Simonis Iuſti ſententia reiicitur, et *Ioſephi* de Onia IV. ſtatuminatur. §. 6. *Seldenus* refutatur.

§. I.

Inter varia, quæ mihi, de argumento diſſertationis, pro ſtudiorum ratione, ſpeciminis ergo, ſcribendæ, cogitanti, ſe obtulere egregia themata, illud ipſum de TEMPLO ONIAE HELIOPOLITANO præ aliis arriſit. Neque id ingratum fore philologiæ et antiquitatum ſtudioſis pæne mihi perſuadeo; cum, quoniam hic labor a nemine

A 2 mine

a) Vid. *Acta Academica* an. 1734 *ſect.* 3. p. 67.

mine antehac, quantum ſcio, ex profeſſo ſuſceptus b); tum, quia plerique, qui paululum in hac palæſtra deſudarunt, primoribus tantum, quod aiunt, labellis illud tetigerunt, vel una eademque chorda oberrarunt. Summi igitur numinis implorato auxilio ad ipſam rem nos conferamus, principio expoſituri exſtructorem, Oniam, eiusque familiam; dein exſtructionem templi ipſam; et denique ſplendorem et deſtructionem, quibus quædam de vaticinio Ieſaiæ XIX. in quantum ſcopum noſtrum ferient, addemus.

§. II.

ONIAS Oniæ, huius nominis tertii ſummi pontificis, fuit filius, ut teſtatur FL. IOSEPHVS. *L. XIII. Antiq. Iud. c.* 6. *et L. XX. c.* 8. „Onias tertitus, pontifex ſummus, pa„trem habuit Simonem II. Oniæ II. filium, qui tres reliquit „filios, Oniam, Ieſum, ſive Iaſonem, et Oniam iuniorem, qui „dein Menelaus dici maluit, qui omnes ad ſacerdotii ſummi tandem pervenerunt faſtigium.„ IOSEPHVS *L. XII. A. I. c. VI.* et *Iac.* GOAR *in Annott. ad G. Syncelli Chron. pag.* 70. Primus horum, ſeu Onias III. in ſummo pontificatu Simonem II. patrem excepit, et ille eſt, qui fortiter reſtitit Heliodoro, depoſitas in templo gazas diripere volenti, quem, divina nemeſi tactum, in priſtinam, per preces ſuas, valetudinem reſtituit, ideo haud immerito laudatus a ſcriptore 2. *Maccab.* 3. 1. *ſeqq.* ob *ευσεβειαν τε και μισοπονηριαν.* Confer G. SYNCELLI *Chronicon* pag. 278. edit. Pariſ. 1652. fol. Ad hunc Oniam literas ab Ario, Lacedæmonum rege, ablegatas eſſe, in quibus cognatio Iudæorum et Spartanorum, quin etiam utriusque gentis ab una ſtirpe, Abrahamo, origo aſſeritur, haud im-

b) *Digna inveſtigatione prolixiori de* TEMPLO HELIOPOLITANO *tractatio, de quo nihil fere, quod rem exhauriat, facile reperitur*, verba ſunt *I. G.* BOHNII *diſſ. I. de Igne gentilium ſacro in Iſraelitarum ſacra iniurio.* p. 22. *Witteb.* 1718.

improbabile videtur; de qua affinitate legendi, 1. *Maccab.* 12. IOSEPH. *L.* 12. *Antiq. c.* 5. *Steph.* MORINI *Diſſertt. pag.* 1. *et ſeqq.* BVDDEI *Hiſtor. Eccleſ. V. T. Tom.* 2. *p.* 925. doctiſſ. CALMETI diſſ. eius *Commentt. libris Maccab.* præmiſſa, *Chriſt.* VVORMIVS *de corruptis Antiquitt. Hebr. apud Tac. et Mart. veſtigiis* Lib. I. p. 33. DICKINSONII *Delphi Phœniciſſ. p.* 134. et *Henr.* SCHARBAV *Parerga Philol. Theol.* P. I. p. 42. ſq. Hic vero Onias III. Pont. M. cum mature decederet, filium reliquit impuberem et minorem, Oniam, ob cuius ætatis defectum Ieſus, ſeu Iaſon, Oniæ III. frater, pontifex decernitur, ſoluto prius Antiocho Epiphani, Syrorum regi, ingenti auri pondere. IOSEPH. *l. c.* Interea Menelaus, itidem frater Oniæ III. et huius Iaſonis, trecentorum amplius, quam Iaſon ſolverat, talentorum pactione, pontificatum ab Antiocho obtinet, Iaſone fratre detruſo, et urbem excedere iuſſo. *Et tunc primum, pro dominantium libidine et petentium ambitione, pontificatus in tempus dari et auferri cœptus, qui antea perpetuus, neque pro lubitu erat exuendus;* ſecundum *Cl.* SELDENVM *de Succeſſ. in Pontif. L. I. c. VI.* Alias enim hic honor, ſemel aſſumtus, non abrogabatur; ſed primus Antiochus Epiphanes hanc legem ſolvit, pro Ieſu ſubrogato in hoc ſacerdotium fratre ipſius Onia: IOSEPH. *L.* 15. *Antiq. c.* 3. et *L.* 12. *c.* 6. In hoc tam corrupto Iudæorum ſtatu, cum Onias, filius Oniæ III, hæres ſummi ſacerdotii legitimus, ephebis exceſſiſſet, et iam integer annorum eſſet; omnis vero ad ſacerdotium perveniendi ſpes ei eſſet præciſa: aufugit in Ægyptum, ibique in familiaritatem Ptolemæi Philometoris regis et reginæ Cleopatræ ſe inſinuavit, a quibus templum exſtruendi licentiam petiit. Alium huius templi auctorem, BALANIVM quendam, nominat CHRONICON ALEXANDRINVM, quod FASTORVM SICVLORVM nomine etiam laudatur, ſub A. 4. *Olymp.* 289. ubi de imperat. Theodoſio: Ὀυτος κατελυσεν και το ἱερον Ἡλιοπολεως το τȣ ΒΑΛΑΝΙΟΥ το μεγα και περιβοητον και το τριλιθον (emendatius πολυθρυλ-

 λητον

λητον) και εποιησεν αυτο εκκλησιαν Χριϛιανων. Templum Heliopolitanum BALANII, *ingens illud et celebratiſſimum, triplici lapide (famoſiſſimum) conſtructum Chriſtianorum uſui aſſignavit.* Nullibi in ſcriptis veterum *Balanius* templi huius conditor reperitur; unde pro ΒΑΛΑΝΙΟΥ legendum ΩΝΙΟΥ ſuſpicatur *celeberrimus criticus Thomas* REINESIVS L. I. *Variarum Lectionum* cap. XXV. p 116. quem tamen *Cl.* ZORNIVS et alii, ab eo citati, refutarunt, et demonſtrarunt, ſermonem ibi eſſe de templo Heliop. Syriæ (in urbe, quæ hodiedum Baalbeck dicitur) *Beleno*, ſive Baali, dicato; non de templo in urbe Heliopoli Ægyptia, ab Onia, exſtructo. *Muſei Brem.* T. I. p. 289. De templo hoc Heliopolitano, in urbe Baalbeck exſtructo, extat. etiam *diſſertatio in Miſcellaneis obſervationibus in auctores veteres et recentiores*, edit. Amſtelod. vol. II. pag. 172. ſqq.

§. III.

Hic tamen plane alia ingreſſi doctores Iudæorum ſunt via, ordinem hunc invertentes, et Simonem Iuſtum duos genuiſſe filios affirmantes, Semaiam et Oniam, ex quibus Onias, natu licet minor, in pontificatu maximo a patre ſucceſſor fuerit declaratus, ſiquidem iſti gerendo muneri magis idoneus; ſed, cum, per ius primogenituræ, id neutiquam liceret, Onias a fratre et populo repulſus, Semaiah ſacerdotium ſummum obtinuit, et hic Alexandriam ſe recepiſſe ibique templum exſtruxiſſe dicitur.

§. IV.

Hoc vero, cum quam maxime hic in controverſiam vocetur, utque ex hoc Labyrintho eluctemur, ſeriem et ordinem pontificum max. poſt captivitatem Babylon. adeoque ab exſtructione templi II. hic paulo uberius deducere, et in clara, præeunte FL. IOSEPHO, hiſtoriarum illius temporis unico fere et optimo ſcriptore, luce ponere, neceſſe erit. Hæc enim ſucceſſio, quoad Iudæos, multis Mæandris eſt obſepta, et plane adverſa fronte hic pugnare videtur. Vera illorum hæc fuit ſucceſſio: Ioſe-

Ioſedeck, cuius filius

1. Ioſua, qui rediit ex captivitate cum Zorob. et promovit ædificationem templi IIdi.
2. Ioiakim
3. Eliaſib
4. Ioiada, vel Iuda
5. Ionathan, vel Iohannan
6. Iaddus
7. Onias I. filius Iaddi
8. Simeon I. Iuſtus, Oniæ I. filius
9. Eleazar, Simonis frater
10. Manaſſes, patruus Eleazaris
11. Onias II. Sim. Iuſti filius
12. Simeon II. filius Oniæ II.
13. Onias III. filius Simonis.
   Onias IV. filius Oniæ III. templi Heliop. conditor
14. Iaſon, Oniæ III. frater
15. Onias, vel Menelaus, Iaſonis frater
16. Alcimus.

Conferri poſſunt de hac pontificum max. ſerie: *Cl.* LIGTHFOOTVS *de Miniſterio Templi Hieroſ. cap.* 4. *ſect.* 3. *T.* 1. *p.* 684. IOS. de VOISIN *in obſ. ad Raymundi Martini Pugionem Fidei. p.* 21. *&c.* SELDENVS *de Succeſſ. in Pontif. L. I. c.* 6. *Cl.* BVDDEVS *Hiſtor. Eccleſ. T.* 2. *ſect.* 6. §. 6. *&c.* Mr. BASNAGE *dans la Republique des Hebreux.* T. 3. p. 71. ſq. *Cl.* HOTTINGERVS *in diſſertt. Theol. Philol. faſciculo.* p. 150. Et hunc ſucceſſionis pontificum M. ad hæc usque tempora cum Ioſepho etiam fere aſſervarunt ordinem NICEPHORVS, *Archiep. Conſtant. in Chronogr. Compend. pag.* 407. *et Chronicon Paſchale, ſive Alexandrinum p.* 188. *apud Cl.* RELANDVM *Antiq. S. L.* 2. *c.* 2. §. 4

§. V.

Hinc elucet, potiores ſubeſſe rationes, quo minus ſtatim Iudæorum magiſtris toto annuamus hic capite; ut taceamus, Io-

Ioſephum doctoribus Talmudicis multo antiquiorem et in rebus hiſtoricis accuratiorem eſſe, adeoque ei maiorem fidem etiam competere debere.

1. Enim huc facit, quod *Iudæi ſint peſſimi hiſtoriæ magiſtri; ex quo enim patria expulſi ſunt, omnis apud illos hiſtoria craſſis erroribus et fabulis eſt inquinata, quibus proinde nihil credendum, niſi alii teſtes, accedant*; ſecundum *Hug.* GROTIVM *Comment. in Matth. XXIV*, 24. GVSSETIVM, FORSTERVM *in præfatt. Lex. aliosque.* Conf. *Cel.* RAMBACHII *Inſtitutt. Hermen.* L. III. c. VI. §. 8. n. 3. De ignorantia Iudæorum in *Chronologia* vid. *Ioh. Chriſtoph* VVOLFIVS *Bibl. Hebr.* T. I. p. 40. et de illorum in *rebus antiquitatis* imperitia, et mendaciis ſcripſit Cel. I. P. HEINIVS *in Obſervat. Philolog. Novae ſcriptorum variorum conlectioni inſertis, faſc.* I. p. 86. et *faſc.* 2. p. 27. ſqq. *Cel. P.* ZORNIVS *in hiſt. fiſci Iud. p.* 318.

2. Iudæi, ut in hac re, ita etiam in tota pontificum max. templi II. ſerie miſere hallucinantur; cum plurimi eorum Simeonem Iuſtum cum eius avo, Iaddo, confundant, et Simeonem, nepotem, in avi, Iaddi, locum ſurrogent; uti cernere eſt apud Doct. LVNDIVM *in Antiquitt. Iud. L. III. c.* 23. §. 16. Quin etiam plane diverſimode ordinem hunc pont. recenſere, patet ex teſtimoniis *R. Iſaacii de* LATTES, *item e Gem. Ioma, Kerithuth, Ievammoth &c. a Cel. H.* RELANDO *l. c. c.* 2. §. 6. adductis.

3. Cauſæ, cur Onias in Ægyptum fugiſſe, ibique templi exſtruendi privilegia petiiſſe creditur, aptius apud Ioſephum, quam apud Iudæorum doctores cohærent, et Iudæorum, qualis tunc temporis fuit, corrupto ſtatui magis conveniunt.

4. Ipſemet Onias II. Simeonis Iuſti filius, in numero pontificum recenſetur, et Oniæ III. avus fuit, qui ipſe hoc munere haud bene functus eſt, ut etiam remotionem non curaret. IOSEPH. *L.* 12. *c.* 4. *A. I.*

5. Nec

5. Nec ulla mentio apud Iudaeos ſcriptores eſt Semaiae, filii Simeonis Iuſti, qui forſan hic Semaiam, vel Simeonem rurſus cum huius Oniae II. filio permiſcent, nepote ſc. Simeonis Iuſti, ſicque tota pontificum m. ſucceſſio penitus deſtruitur, et horum chronologia meris incertitudinibus nititur. Nec regis Ægypti, ſub quo templum hoc conditum, praeciſe nomen indicant; ſed omnia de hoc Onia, Simeonis Iuſti filio, eiusque templo Alexandrino, (ſiue id per πατροπαράδοσιν factum, ſiue per corruptos hac de re codices et manuſcripta,) tanquam corrupta, incerto nitentia talo, et ut longius petita recenſent; ut in ipſa tractatione, ex exemplis et teſtimoniis Iudaeorum allegandis, ulterius patebit. Vt adeo eo minus de Ioſephi ſententia dubitari hic poſſe rear, quo magis unus ille, in hiſtoria illorum temporum, pridem eruditis fidem perſaepe probauit; cum e contrario Rabbinis parum tribuendum eſſe fidei conſtet; imo conſulto bonarum rerum profiteri ignorantiam ſaepe videantur.

§. VI.

Mirum vero eruditis iam dudum fuit viſum, quomodo CL. SELDENO, in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimo, in mentem venire potuerit, duo diuerſa, ex Ioſephi et Iudaeorum ſcriptis, diſtinguere templa, in *Tract. de Succeſſ Pontificum L. I. c.* 8. *Alexandriae*, inquit, *collocatur illud* (templum) *de quo Talmudici; Leontopoli hoc, quod Ioſephus et ſcriptores habent Chriſtiani. Hoc etiam Antiochi Epiphanis et Ptolemaei Philometoris tempori tribuitur; illud, ut ſuperiora multum repetat initia, neceſſe eſt, ſi tam prope exceſſum Simonis Iuſti, ſeu ad filium eius ſurſum trahatur.* Et ſtatim rurſus: *Tempus, locus, perſona utriusque invicem diſcrepat.* Hic enim, dum loca Ioſephi contulit, in quibus de hoc templo agitur, deprehendiſſe ſibi viſus eſt, Ioſephum omnino de duobus templis Ægypti diuerſis loqui; altero ab Onia, Simonis Iuſti filio, prope Alexandriam, condito; altero ab Onia IV. in Nomo Heliopolitano, regnante

te Ptolemaeo Philometore, exſtructo. Praecipuum argumenti huius robur et vis in male intellecto IOSEPHI loco, *de Bello Iud. L.* 7. *c.* 30. eſt poſita, ubi meminit templi *Oniae, Simonis filii.* Ex quo tandem SELDENVS l. c ita concludit et litem hanc decidit: *Talmunicorum* בית חניו, *templum Oniae, idem fuiſſe cum Heliopolitano illo, ab Onia, Simonis, apud Ioſephum, filio, exſtructo: et, quia in Alexandriae praefectura poſitum eſt, forte, illud Alexandriae ſitum, dixiſſe.* Sed, ſi locum hunc *Ioſephi* cum aliis bene contulerimus, omnia conuenire cernimus; partim, quoniam deſcriptio huius templi, in loco allegato, cum illa, quae in *Antiq. L.* 13. *c.* 6. continetur, conuenit; partim, quoniam hoc loco refert ſe menſuram et vaſa templi in *libro VII. de B. Iud* iam commemoraſſe, adeoque repetere heic rurſus nolle. Τα δε μετρα αυτȣ και τα σκευη νυν ȣκ εδοξε μοι δηλȣν, εν γαρ τη ἑβδομη μȣ βιβλω των Ιȣδαικων πολεμων αναγεγραπται. *Menſuram vero eius et vaſa nunc non libet repetere, commemorata iam ante in ſeptimo belli Iudaici volumine. pag.* 433. *edit. Cl. Ittigii Coll. L.* 20. *c.* 8. *pag.* 700. Sed, ubi aliter *Ioſephus* menſuram et vaſa recenſuit, quam *L.* 7. *c.* 30. *de bello Iudaico*? Et hinc quam clariſſime ſequitur, illum utrobique de uno eodemque templo, et de Oniae III. filio, Onia IV. eius conditore, non vero Onia Simonis Iuſti, verba facere. Quod vero *Ioſephus* Oniam Simonis dicat, illud factum, vel per errorem et παροραμα amanuenſium, vel quod Onias hic nomine Simonis etiam fuerit inſignitus, vel quod per filium hic nepotem intellexerit; et ita omnia hac in re optime fluunt. Porro hic Onias Simonis, id eſt, Onias II. a *Ioſepho* multo aliter deſcribitur, quam quod talia moliri fuiſſet auſus; quippe qui ſecuritatem publicam non curaret, ſed modo, pecuniis parcens, coniiceret in periculum populum, a quo et pontificalem honorem acceperat. Hinc ſegnitiei et ingratitudinis cum apud regem Ægypti accuſatus non bene de illo meruit: *Ant. L* 12. *c.* 4. adeoque omnis via ei erat praecluſa, ne libertatem a Ptolemaeo templum exſtruendi obtineret, imo

imo tum (quod praecipue hic debet animaduerti) annis graui, animi impetus, ut noua et inaudita conaretur, dudum deferbuerat. Eandem *Seldeni* ſententiam affert *Dion.* DENYSSEN in *libro Belg. Tempel Gods*, pag. 29. in notis. Ex his itaque quam clariſſime patet, *Ioſephum* non innuiſſe Oniam II. Simonis filium, ſed Oniam IV. et Cl. SELDENVM humani aliquid eſſe paſſum; vt etiam oſtendit Cl. VITRINGA *Comment. in Ieſ. XIX. pag.* 582. *in nott.* Eatenus vero ſententiae *Seldeni* ſubſcribimus, quatenus ille templum Oniae in Alexandrina praefectura idem cum Heliopolitano fuiſſe affirmat, et quidem illud ab Onia, Oniae tertii filio, non vero Simonis, exſtructum fuiſſe; partim, quoniam Alexandrina regio et praefectura circumiacentes Νομȣς forſan ſub ſe comprehenderet; partim etiam, quoniam Iudaei, ut exules, apud exteros degebant, et in chronologia ſuperiorum temporum ita accurate non erant verſati.

CAP. II.

De exſtructione templi Heliopolitani.

ARGVMENTVM.

§. 1. *Ioſephi* §. 2. Iudaeorum de occaſione exſtructionis templi Oniae, teſtimonia recenſentur, de lite Simeonem inter et Oniam, fratres, ob pontificatum m. §. 3. Notio vocum כלי, אונקלי, ſtomachi, אסטומכא דלבא eruitur. §. 4. 5. Vlterior explicatio occaſionis templi Oniae ex Iudaeorum ſcriptis continetur. §. 6. Pontifex m. praepoſtere indutus, et quaenam eius poena. §. 7. Tempus et annus exſtructionis huius templi exputatur. §. 8. Locus, ubi templum exſtructum, indicatur. §. 9. Prolixe de Bubaſto, urbe, eiusque etymo, de III. art. Ægypt., Diana Bubaſtis, de cultu felis nomine Bubaſtis, de herba Artemiſia, *Ioſepho* lux accenditur, de veneratione ſcarabaei. §. 10. Prouocatio ad vaticinium Ieſaiae XIX. 18. 19.

§. I.

Hiſce praeoccupatis ipſam hiſtoriae arcem adoriri fas eſt. Turbatis valde, ſub Antiocho Epiphane, Iudaeorum rebus Onias hic, patrui caede territus, et prae-

ciſa omni auiti honoris recuperandi ſpe, quoniam Alcimus, vel Iacimus, non ex familia pontificum natus, ſacerdotium ſummum, exſtincto Menelao, obtinuerat, et dignitas haec in aliam domum translata erat; de quo Alcimo prolixe SCALIGER *ad annum Euſebii Pamph. MDCCCLVI. pag.* 144. *et* SELDENVS *de ſucceſſ. in Pont. L. I. c.* 9. Onias, inquam, hic alia via dignitatem generis ſui tueri, et ſic inclareſcere ſtatuit, ideo aufugit in Ægyptum, hinc IOSEPHVM *L.* 12. *c.* 15. *A. Iud.* Et *Idem* inprimis *L.* 13. *c.* 6. ait: Ὁ δε Ονιϐ τϐ αρχιερεως ὑιος, ὁμωνυμος δε ων τω πατρι, ὁς ἐν Αλεξανδρεια φυγων προς Πτολεμαιον, τον επικαλϐμενον Φιλομητορα, διηγεν, ιδων την Ιϐδαιαν κακϐμενην ὑπο των Μακεδονων και των βασιλεων αυτων, βϐλομενος ἀυτω μνημην αιωνιον κατασκευασαι, διεγνω πεμψας προς Πτολεμαιον τον βασιλεαι, και την βασιλισσαν Κλεοπατραν, αιτησασθαι παρ αυτων εξϐσιαν, ὁπως οικοδομησειε ναον εν Αιγυπτω, παρα πλησιον τω εν Ἱεροσολυμοις, και Λευιτας και ἱερεις εκ τϐ ιδιϐ γενϐς καταςηση. *Onias autem, pontificis Oniae filius, qui profugus Alexandriae degebat, apud Ptolemaeum Philometorem, videns Iudaeam vaſtatam a Macedonibus eorumque regibus, et ſibi memoriam et aeternam gloriam parare volens, decreuit a rege Ptolemaeo, et regina Cleopatra per literas, petere, ut ſibi liceat in Ægypto, inſtar illius Hieroſolymitani, templum aedificare, et in eo Leuitas et ſacerdotes, ex ſuo genere, conſtituere.* Et IOSEPHVS, *ſcriptor Chriſtianus, in Hypomneſtico* cap. 2. *a Cel.* FABRICIO *in Cod. Pſeudepigrapho* V. T. edito T. 2. p. 12. Επι τϐτϐ Ωνιας, ὁ τϐ Ωνιϐ ὑιος, φυγων εις Αιγυπτον ναον ὁμοιον τω εν Ἱεροσολυμοις ωκοδομησεν εν τω ἩΛΙΟΥΠΟΛΙΤΗ νομω. *Illius tempore Onias, Oniae filius, in Ægyptum aufugit, ibique templum Hieroſolymitano ſimile, in provincia* HELIOPOLITANA, *condidit. Ioh.* ZONARAS *in Annalibus* T. I. p. 207. ſiue L. IV. cap. XXI. (*edit Pariſ. reg.* 1686 *fol.*) Ὁ τϐ αρχιερεως Σιμωνος τϐ δικαιϐ ὑιος, Ονιος, ὁν παιδιον ὁ πατηρ τελευτων καταλελοιπεν, ὁτι την αρχιεροσυνην Αλκιμω δεδωκεν ὁ Αντιοχος, μη τω γενει τω αρχιερατικω προσηκοντι, φευγει προς Πτολεμαιον εις Αιγυπτον, και τιμηθεις λαμβανει τοπον εν τω ἩΛΙ-

ΗΛΙΟΥΠΟΛΙΤΗ *νομω, και ἱερον εκει ωκοδομησε τω εν Ἱεροσολυμοις παςεμφερες. Onias, Simonis Iuſti filius, quem pater moriens puerum reliquerat, cum Antiochus pontificatum Alcimo, a familia pontificia alieno, dediſſet, in Ægyptum confugit, atque, a Ptolemaeo honorifice ſusceptus, loco in Heliopolitana regione capto,* TEMPLVM, *inſtar* HIEROSOLYMITANI, *condidit*; quibus adde MARIANVM SCOTVM *Chron. in Collect. Struuiana* T. I. p. 532. Conf. de hoc templo BASNAGE dans *l' Hiſtoire des Iuifs*. T. 7. pag. 170. PRIDEAVX in *Connex*. P. 2. L. 4. p. 266. IVRIEV dans *l' Hiſtoire des dogmes* P. 2. p. 288. HOTTINGERVS in *Pentade diſſ. Chron.* pag. 450. SCHOTANVS in *Bibl. Hiſt V. T* T. 2. p. 1300. SIGONIVS de *Republ. Hebr.* L. 2. c. 7. et ibid. *I. Nicolai*. et alii quos excitauit *Cel. P.* ZORNIVS *in Comment. ad Hecataei, Abderitae, Fragmenta* p. 14. M. SIMON. *dans le Dictionarie de la Bible*, voce *Onias*, GOEREE *Kerken Weereldlicke Hiſtorie* pag. 83. 169. CALMET *in Lexico Biblico*. et *Fr.* SPANHEMIVS T. I. *Opp. Hiſt Eccleſ.* p. 453.

§. II.

Talmudici vero, hic in illo erroris luto haerentes, de quo in antecedentibus, hanc hiſtoriam de Onia narrant, eum Oniam, filium natu minorem, teſtamento ordinaſſe ſacerdotem ſummum, quia eius frater natu maior mente erat captus. Sic *codex Menachot fol.* 109. 2. apud LIGTHFOOTVM *Hor. Hebr. in Ioh* 4. 20. *et Chr.* CARTVVRITHVM *in Mellificio Hebr L.* 5. *c.* 5. *Simeon Iuſtus moriens dixit, Onias, filius meus, miniſtrabit mea vice. Inuidit ei frater eius Shimei, ſenior eo exiſtens annis duobus et dimidio. Dixit ei, ades, et edocebeo te normam miniſterii. Induit ei* אונקלי *et cinxit eum* בצילצור (*id eſt,* cingulo, vel ſubligaculo) *ſtatuitque eum iuxta altare, et dixit fratribus ſuis ſacerdotibus: Videte, quidnam hic voverit, praeſtiteritque uxori ſuae, hoc nempe, quo die miniſtravero ego in ſummo ſacerdotio, induam pectorale tuum, et cingar cingulo tuo. R. Salomonis gloſſa* in hunc locum dicit, quod אונקלי ſit מלבוש של עור,

 id

id eſt *veſtis coriacea*; ſed *Aruch, ex Avoda Zarah:* מאי אונקלי. *Quid eſt* אונקלי? *R. Abba dicit* אסטומכא דלבא *ſtomacha cordis. cap. 2. pag.* 62. edit *Edzardi. Sed R. Obadias Bartenorienſis ad cod* מנחות *cap.* 13. explicat; כתנת בר דקה שלובשות הנשים על בשרן *Tunicam lineam tenuem, qualem mulieres ſuper carnem ſuam induere ſolent.*

§. III.

Origo vocis אונקלי admodum obſcura eſt; quamuis ſignificatus eius ex ipſa hiſtoria aliquatenus poſſit cognoſci et erui. Shimei enim, ut fratrem ſuum, Oniam, ſacerdotio exueret, utque illum ſacerdotibus tanquam ſtultum et delirum proponeret, autor fuit, ut in miniſtrando pectorale uxoris, pro rationali ſcil. Ephod, gereret, et eius cingulo, loco cinguli pretioſi ſacerdotalis, cingeretur, ut ſic illum totum ad pontificatum redderet ineptum. Ne vero plane ἀσυμβόλως ab etymo redeamus, vocem אונקלי ex duabus vocibus compoſitam eſſe cenſerem, vel ex און, *pellis*, et קלה, *frixit, torruit.* Verbum קלה, dialecto Aramaea, tranſit in קלי, quod *toſtum*, vel *frixum*, hoc eſt, toſtione et frixione ſubactum et maceratum deſignat. Et hoc pacto אונקלי, vox compoſita, notabit pellem, toſtione ſubactam et maceratam, ſcilicet coriariorum artificio induratam; et ita conuenit cum *gloſſa R. Salomonis*, quae explicat *veſtem coriaceam*. Ita, pro אונקלי, *veſtimenti genere*, in *Talmude Babylonico*, occurrit *in Hieroſolymitano*, ניקלי. *Conf.* BVXTORF. *in Lex. Talm.* p. 2035. Vel compoſita eſt ex און, *pellis*, et קלי, per literarum permutationem, pro כלי, *inſtrumentum, vas*, item *veſtimentum*, ut denotet *veſtimentum pelliceum*; quemadmodum etiam ad l. c. *gloſſa* explicauit. Vocem vero כלי *veſtem* denotare, euincimus tam ex ſacris, quam etiam Talmudiſtarum pandectis. Sic, *Leuit.* 13. 49. *Si plaga leprae fuerit viridis &c.* בכלי עור *in veſte pellicea, oſtendetur ſacerdoti. Et Deut.* 22. 5.: לא יהיה כלי גבר על אשה. *Non erit, vel ne ſit, veſtis viri ſuper mulierem*, id eſt, *non induet veſtem viri-*

lem.

lem. &c. *Et cod. Talm.* יומא *cap. 7. m. 5.* כהן גדול משמש בשמנה כלים וההדיוט בארבעה *Sacerdos magnus octo* כלים, *veſtibus, miniſtrat, gregarius quatuor.* Saepius notio haec occurrit in מסכת תענית, *cod. Talm. de Ieiunio, a Dan.* LVNDIO latinitate notisque donato, *cap. 4. m. 8.* (Vltrai. 1694. 8.) *pag.* 60. *R. Leui* BARZELONITAE *leg* 99. *Abrah.* PERITZOL *Itin. Mundi cap.* 18. *p.* 118. edit. Th. Hyde, MAIMON. *praefat. in Pereck Chelek, ſiue* 13. *caput Sanhedrin, in* Porta Moſis *pag.* 158. edit. Oxon. 1655. Cl. Pocokii. Ex. cod. פרה, *cap* 4. *ſect.* I. *ubi per* כלי לבן MAIMON. *ad h. l* intelligit בגדי לבן, *veſtes albas.* Vid. BRAVNIVS in aureo *de veſtitu Sacerd. Hebr.* opere *L.* 2. *c.* 24. §. 690. *Ioh.* DIETERICI *Antiquit. Bibl. T.* I. *p.* 276. et Cel. MILLIVS in *Diſſert. Sel. No* 9 §. 10. *pag.* 258. Hinc בית אונקלי, apud Rabbinos, denotat domum digitorum, id eſt, chirothecam, ex pellibus factum a). Et ſic, quando Rabbini אונקלי per אסטומכא דלבא interpretantur, incertum per aeque incertum rurſus explicant; unde Oedipo hic opus eſſe videtur. Quare, ut haec vox etiam lucis aliquid accipiat, originem eius et natiuum ſignificatum inquiramus. Vocem אסטומכא Iudaei, ut multas alias, e Graecia mutuo ſumſerunt, ubi στομαχος eſt *fiſtula, per quam cibus deſcendit.* Hinc PLINIVS *Hiſt. Nat. L. XI. c.* 37. ait, *ſummum gulae fauces vocantur, extremum ſtomachus.* Improprie vero στομαχος dicitur de *ventre, cuius officium eſt cibum appetere*; unde *receptaculum ciborum* apud LACTANTIVM *de Opificio Dei cap. XI.* vid. ibid. BETVLEIVS. Hinc etiam IVVENALIS *ſat* 5. *vſ.* 49.

Si ſtomachus domini feruet vinoque ciboque.

A. GELIVS dicit *duas eſſe fiſtulas, easque ab oris faucibus deorſum proficiſci per earum alteram deduci et delabi in ſtomachum eſculenta omnia et potulenta*; *L.* 17. *c.* 11. Vnde στομαχος dictus απο τȣ στοματος

a) Quid? ſi quis inde augurari vellet אונקלי eſſe vocem Graecam αγκαλη, *ulna*, notareque chirothecam, ad ulnas usque pertingentem.

τος και χεω, quod cibum eiusque chylum, per orificium ſuum, per totum corpus diffundat, illudque nutriat. Vid. A. MACROBIVS *Saturnal. L.* 7. *c.* 4. *Franc. Marii* GRAPALDI *Onomaſt.* (Dordr. 1618. 7.) *p.* 317. BEVEROVICII *Idea Medicinae Vet. pag.* 37. VOSSII *Etymolog. h. v. pag.* 572. et FVNGERI *Lex. trilingue. pag.* 800. et *Hieron.* MERCVRIALIS *Variarum Lectionum* L. I. p. 369. *in Eius Operibus, iunctim Venetiis* 1644. *fol. editis.* Eundem voci אסטומכא Rabbini adſcribunt ſignificatum. Sic R. D. KIMCHI *ad* I. *Reg.* 19. 8 ad verba illa, בכח האכילה ההיא ita ſcribit: כלומר שנשתהא המאכל באסטומכא ולא בשלה אותו הכח המבשלת ולא משכה אותו כח המושך *Id eſt, quaſi diceretur, quod commoratus eſſet cibus in ſtomacho, neque concoxiſſet eum facultas concoctrix, neque attraxiſſet eum facultas attractrix.* Prolixius paululum MVSAPHIAE eſt teſtimonium, in *additament. ad Aruch*, voce אסטומכא: פירוש בלשון יוני ורומיי פי הכרס לבדו ונעתקה מלה זו לפעמים לכל הכרס ויען כי הרופאים הקדמנים היו קירא לפי הכרס לב כי בחלוי יפוג ויתעלף הלב אמרו חכמינו לפי הכרס אסטומכא דלבא וכן אמרו חולשא דלבא ויוקרא דלבא לחלישות ולכבדות פי הכרס: *Graeca et Latina linguas* STOMACHVS *vocatur orificium ventriculi ſolum; interdum autem transfertur vox haec ad totum ventriculum. Et quia medici veteres appellarunt orificium ventriculi cor, eo quod, illo male affecto, cor debilitatur et langueſcit; idcirco ſapientes noſtri os ventriculi vocant ſtomachum cordis. Eademque ratione vocant etiam debilitatem et grauitatem ſtomachi debilitatem cordis et grauitatem cordis.* Plura ad hanc vocum אונקלי ואסטומכא דלבא notionem affert G. E. EDZARDVS *in not. doct. ad tract Talm.* עבודה זרה *cap.* 2, *p.* 382. cui et locum hunc Muſaphiae debemus. *Et* BVXTORFIVS *in Lex. Rabbin. pag.* 149. *et* 160. Qualis vero nexus et tertium comparationis ſit inter veſtimentum et ſtomachum, ingenii mei tenuitas nondum ex laciniis Iudaeorum diuinare potuit; ita ut hic potius, cum aliis erudiſſimis viris, ignorantiam fateri, quam multa lubrica

ca et incerta ſemita fundaſſe, malim. Quid enim explicatio haec Iudaorum τꝫ אונקלי, per *ſtomachum cordis*, ſibi velit, Delii natatores iudicent. Si coniecturae locus, forſan ſpeciatim per ſtomachum indicare voluerunt ſitum illum cinguli, qui circa ſtomachum erat, vel quia cor, una cum ſtomacho, texerit et conſtrinxerit; vel quia ad inferius oeſophagi orificium in ventriculo, ſeu ſtomacho deſinens pertigerit.

§. IV.

Sed redeamus in viam. Iudaei vero, Simeonis animaduertentes ſimplicitatem, malitiamque Oniae, hunc loco illius iuſtis et promeritis quaerebant afficere poenis. Sic enim *hiſtoria Gemarica Menachoth* pergit: *Machinati ſunt fratres eius, ſacerdotes, ei necem; aſt ille aufugit, et euaſit in Alexandriam Ægypti, ſtruxitque ibi altare, obtulitque ſacrificia idololatriae. Haec ſunt verba R. Meier. Sed dicit ei R. Iuda: Res ita ſe non habuit, ſed non agnouit Onias, Shimei, fratrem ſuum, eſſe ſe ſeniorem annis duobus et dimidio: verum tamen ei inuidit Onias, et dixit ei: Veni, et edocebo te normam miniſterii &c.* Et ſic recutitae gentis doctores mutuo rurſus diſſentiunt et ſcenam totam inuertunt, ita ut, referente R. Iuda, Onias fratrem ſuum Simeonem pectorali, vel ſtomacha cordis induerit et cingulo uxorio cinxerit. *Ea propter ſacerdotes machinati ſunt necem Simeoni*; *at cum ille totam rem enarraret, machinati ſunt necem Oniae, et ille aufugit in Alexandriam &c.*

§. V.

Ab ouo vero hanc rem deduxit *R. Salomon* BEN VIRGA in tr. שבט יהודה, latina veſte A GENTIO induto, Amſt. pag. 71. qui in colloquio cum rege Hiſpaniae et aliquo *Thoma*, forte *Aquinate*, (ut coniectat VVOLFIVS *Biblioth. Hebr. T.* I. *pag.* 1052.) varias clades et fata Iudaeis ubique terrarum inflicta recenſebat, tandem etiam ſuperaddit hiſtoriam templi Gerizim et Oniae huius Alexandriae, ſed tamen ἀνωνύμως exſtructi, de quo prolixe ita ſcribit: *Fuerunt inter Iudaeos duo*

 fra-

fratres, filii cuiusdam iuſti, maiorque cum ſacrorum rationem minus intelligeret, pater minorem, rituum ſacrorum magis intelligentem, pontificem maximum creari voluit, ſed ille, pontificatum recuſans, eum fratri natu maiori ultro detulit. Ille vero, aliquanto poſt cum, facti poeniteret, fraude excogitata, qua eum, in culpam impulſum, pontificatu moveret, huiuscemodi verbis eſt aggreſſus: Age vero, docebo te ſacros ritus, illumque indutum veſte, ſacerdotibus inuſitata, cinxit cingulo profano, veſte, inquam, et cingulo, quibus mulieres uti ſolent. Quo ad aram deducto ipſe ad ſacerdotes, qui in templo erant, deſcendit: En, inquit, frater meus habet amicam, quam amat, cuius iſta veſtis et cingulum ſunt; illi enim iurauit, quo primum die pontificatum iniret, ſe eius veſtes, in ſignum amoris, quo eam proſequatur, induturum eſſe. Tum omnes conſurrexerunt ſacerdotes, eum occiſuri. Ille obteſtatus eos, audirent primum verba eius: enarrato illis fratris ſui dolo, verum dixiſſe, compertus eſt. Quare minorem nefarii doli manifeſtum, dum ad ſupplicium depoſcunt, ille in aulam regis euaſit, unde cum ipſum abſtrahere pararent, Alexandriam in Ægyptum profugit; ubi a ſe ſtructo templo, pontifex maximus conſtitus eſt. Vid. *cod.* מנחות, ſiue *de Oblatt. cap.* 13. et ad eundem *cod. R. Obadiae de* BARTENORA prolixum, ſed inſigne teſtimonium apud Cl. SELDENVM *l. c. L.* I. *c.* 8. Cum enim partim ibidem totum illud deſcriptum extet, partim etiam conſonum reliquis adductis, non libet hic repetere. Confer. MEGILLA *cap.* I. *Sepher* IVCHASIN *fol.* 15. *fac.* 2. *Hieroſ.* יומא *fol.* 43. *R.* GEDALIAS *in* שלשלת הקבלה ſcribit: שחניו בנו של שמעון הצדיק בנה מקדש אחר באלכסנדריה של מצרים *Oniam, filium Simeonis Iuſti, aedificaſſe ſanctuarium aliud* (ab Hieroſolymitano) *Alexandriae, quae in Ægypto eſt.* Cauſam etiam addit GEDALIAS *ex Talm. Hieroſ.* לפי שנולדה קטטה יומא: בין חוניו ושמעי אחיו על הכהנה גדולה: *Quoniam oborta eſſet controuerſia inter Oniam et Simei, fratrem eius, ob ſummum ſacerdotium.* Vid. RELANDVS *in nott. ad Ottonis Hiſt. Doct. Miſchn, pag.* 25.

§. VI.

§. VI.

Cauſa vero, cur ſacerdotes, ita praecipiti furore acti et effrenata commoti ira, ſtatim ſacerdotem, praepoſtere tantum veſtibus amictum, capitali afficere voluerint ſupplicio, inde deriuanda eſt, quia, cum omnia in ſacris Leuiticis, magna religione, quam accuratiſſime obſeruari deberent, ſic legibus inſtructi erant, quibus tam ſacerdotes omnes, quam etiam pontifex maximus in veſtiendo deberent eſſe conformes, adeo, ut pro piaculo et capitali crimine haberetur, ſi aliquis inuerſo ordine et praepoſtero ritu fuiſſet veſtitus. Hinc talis reus exciſionis habebatur, cui veſtes ſacrae inter ſacrificandum deerant; ſecundum legem. *Exod.* 28. 23. והיו על אהרן ועל בניו בבאם אל אהל מועד או בגשתם אל המזבח לשרת בקדש ולא ישאו עון ומתו חקת עולם לו ולזרעו אחריו *Et erunt* (veſtes) *ſuper Aharon et ſuper filios eius, quando ingredientur tabernaculum teſtimonii, aut quum accedent ad altare, ut miniſtrent in ſanctitate, et non ferent iniquitatem, neque morientur: ſtatutum perpetuum ei et ſemini eius poſt illum erit.* Haec tamen poena, ſecundum doctores Iudaeorum ad h. l. erat coelitus infligenda et θεηλατος. Vid. MAIMON. *in Cele hammickd. cap. X.* et *R. Leui* BARSELONITA in *lege* 99. apud HOTTINGERVM *de Legg. Hebr. pag.* 128. כל זמן שיעבוד הכהן בין הדיוט בין גדול בפחות מבגדיו המיוחדין לעבודה ההיא או ביותר מהם עבודתו פסולה וגם יתחייב מיתה שמים *Quotiescunque autem ſacerdos, tam vulgaris, quam magnus, vel paucioribus, vel pluribus, quam conueniat, adminiſtrauerit veſtibus, non modo cultus ille profanus, ſed et ipſe mortis θεηλατȣ ſit reus.* Et *Gemara* ZEVACHIM. apud SHERINGHAMVM *ad Ioma pag.* 76. לבש שני מכנסים שני אבנטים חסר אחת יותר אחת או שהיתה לו רטיה על מכת בשרו תחת בגדו או שהיו מטושטשים או מקורעין ועבד עבודתו פסולה *Si quis duo femoralia, aut duos bālteos induiſſet; ſi veſtis una defeciſſet, aut redundaſſet; ſi emplaſtrum, vulneri impoſitum, ſub veſts fuiſſet, aut ſi veſtes fuiſſent ſordidae et laceratae, et in illis miniſtraſſet, miniſte-*

niſterium eius eſt profanum. Vid. BARTENORIENSIS *ad Zeuach.* 2. 1. Sic etiam ſacerdotem laceratis, aut diſſutis veſtibus ſanctuarium ingredi, nefas erat. MAIMON. *de ſynedriis et poenis. cap.* 19. *R. Leui* BARSELONITA *lege* 156. *et Hilarius* PRACHIVS in nott. ad *R Iedaiæ Happeni* בקשה *pag.* 58. (Lipſ. 1662. 4.) Inprimis de ſolemni pontificis noui *ſacris veſtibus* induendi ritu vid. NICOLAI *in nott .ad Sigon. de Republ. Hebr. L.* 5. *c.* 2, SELDENVS *de Succeſſ. in Pontific.L.*2. *cap.* 7. et 8. *et de Syndr. p.* 1144. et *Ioh.* VVILKENS *in diſſ. de Melchiſedeco, inſerta Theſauro Theol. Philol.* T. 2. p. 753. Ex hoc Oniae huius piaculo CL. BRAVNIVS totum illud ſchiſma deriuat, turbas has fuiſſe motas ob inſcitiam in veſtiendo Shemai, *ut iſte in veſtiendo error originem dederit celeberrimi iſtius templi Oniae in Ægypto; de Veſtitu Sacerd. Hebr. L.* 2. *c.* 23.

§. VII.

Circa tempus et annum exſtructionis huius templi egregius eſt EVSEBIVS *in Chronicorum utroque libro*, ubi ad annum ab Abrahamo MDCCCLVI. ita ſcribit: *Menelao, pontifice Iudaeorum, a iuniore Antiocho occiſo, qui prius Iudaeam Epiphani Antiocho prodiderat, Alcimus, alienus a genere ſacerdotali, ambitione pontificatum inuadit. Ob quod Onias, filius pontificis Oniae, Ægyptum transmigrans, in Heliopolitano pago ciuitatem nominis ſui condidit, templo, ad ſimilitudinem templi patrii, conſtructo, pag.* 38. *et* 146. *edit. Amſt.* 1658. et id factum an. mundi 3787. et Abrahami, ut ſupra, MDCCCLVI. Olymp. CLIV. 3. regiminis Ptolemaei Philom. XIX. an. 2. Demetrii Soteris, regis Syriae, periodi Iulianae 4553. aerae Seleucid. 152. ante Chriſtum natum 161. vid. *ibid Ioſ* SCALIGERI *Animadv. pag.* 144. et *Sethus* CALVISIVS *in opere Chronolog. p.* 367. *God.* VITERBIVS altius aſcendit, et exſtructionem huius templi ad Ptolemaeum Σωτηρα refert, quando dicit:

Dum

Dum quaſi legiſta Philadelphus tranſtulit iſta,
Inſtituit templum, templi Salomonis ad inſtar,
Vt, quaſi lege Dei, ſacrificaret ei.
Vaſa Dei, menſamque Dei, variosque decores,
Iudaico more, ſimili fabricauit honore,
Cultum conſimilem ſemper habere volens.
Aurea gemmifera menſae fuit inclyta forma,
Vaſaque gemmarum ſpecies miranda perornat,
Vt lux in tenebris aurea menſa fuit.
Vrbs Pharaonis erat quondam cognomine Memphis,
Qua dedit hoc templum domino Sother Philadelphus;
Hanc ſub Pompeio poſt cecidiſſe lego.

Vid. Ioh. PISTORII *Scriptorum German.* T. 2. p. 171. *edit. nouae Cel.* STRUVII, *Ratisp.* f. 1726. cui Viterbienſis totus inſertus eſt.

§. VIII.

Locus, in quo templum hoc exſtructum, hic excutiendus eſt, qui quidem generali nomine Νομος Ἡλιȣπολιτης, *tractus Heliopolitanus*, IOSEPHO *de B. I. L.* 7. *c.* 30. et ZONARAE *annal. p.* 208. *pagus* autem *Heliopolitanus* EVSEBIO *L.* 2. *Chron. pag.* 146. dicitur. Locus hic diſtabat 180 ſtadiis, i. e. paulo minus ſex milliaribus Germanicis a Memphi, verſus ortum aeſtiuum, apud Leontopolim, ubi agreſtis Bubaſteos, i. e. Iſidis, vel Dianae templum minabatur ruinam et fere collapſum erat. Hinc Onias, in literis ad Ptolemaeum datis, ita ſcribit *L. XIII. Ant. Iud. c.* 6. Επιτηδειοτατον ἑυρων τον τοπον εν τω προσαγορευομενω της αγριας Βȣβαςεως οχυρωματι, βρυοντα ποικιλης ȣλης και των ἱερων ζωων μεςον, δεομαι συγχωρησαι μοι το αδεσποτον ανακαθαραντι ἱερον και συμπεπτωκος, οικοδομησαι ναον τω μεγιςω θεω καθ ὁμοιωσιν τȣ εν Ἱεροσολυμοις κ. τ. λ. *Et quia locum inueni idoneum apud caſtrum, quod agreſtis Bubaſtis dicitur, plenum varia materia, ſacrisque ani-*

malibus, rogo, ut mihi permittatis templum, quod illic eſt, nulli ſacratum numini, iamque collapſum, repurgare, et aliud loco eius deo maximo exſtruere, ad Hieroſolymitani illius ſimilitudinem. Et hunc locum poſtea Oniae conceſſit Philometor, in literis reſponſoriis, ea tamen pactione, ut ſalua legis obſeruatione id fieret, neque peccare in dominum videretur. Vnde etiam παραβασιν, legis *transgreſſionem*, in Oniae caput reiecit. *Conf. L. XII. c.* 15. *XX.* 8. *et L.* I. *de B. Iud. c.* I. *et* 7. 30. *ubi* τον εν τη Ονιϐ καλϐμενον ναον, *templum in urbe, ab Onia nominata, ſitum appellat.*

§. IX.

Bvbastvs fuit antiquiſſima et celeberrima Ægypti urbs, adeo ut etiam inter primarias regionis huius ciuitates *Ezech. XXX.* 17. annumeretur; ubi nomine פי־בסת, *Phibeſeth*, inſignitur, *LXX. Interpp.* Βϐβαςος. Vox haec conflata eſt ex articulo ΠΙ, apud Ægyptios celebratiſſimo, et nomine בסת. Hic enim articulus eodem modo vocibus, quo apud Hebraeos ה, et apud Arabes ال, praefigi ſolet; quod demonſtrauit inſigne quondam par fratrum doctiſſ. alter *Cl. Iac.* hasaevs, *in Biblioth. Brem T.* 2. *p.* 491. *et T.* 5. *p.* 594. alter *Cel. Theod.* hasaevs in lib. de *Leuiathane Iobi, pag.* 110. et moyne *in diſſ. de Iehoua Iuſt. noſtra pag.* 62. ſicut id etiam clarius ex allatis his patet. Vt Πιμαρτυρος, *teſtis*; Πιζευς, ζευς, *Iupiter*; Πισεκλος, *ſiclus*; Πιμυλλιον, *milliare*; Πιλαος, *populus &c.* quarum vocum innumera hic cumulari poſſent exempla: *conf.* iameson *Spicilegia Antiq. Ægypti cap.* II. p. 43. Vox בסת conuenire videtur cum voce בוסתנא, *hortus*, et inprimis *hortus magnificus*, et بستان Talmudicis, Arabibus et Perſis uſitata. *Conf.* hadr. relandi *Diſſertt. Miſcell.* P. II. p. 282. et inde urbs haec dicta videtur, quod ſita erat in amoeno tractu, ad ripam Nili, ubi ager fertiliſſimus erat, et Dianae ad venationes egregie inſeruiebat quae heic loci religioſe colebatur. Coptica lingua *Bubaſtus* ϲιομϯ, *Siohdi*, Arab. اسيوط, *Aſiuth*, dicitur; vid. *Athan.* kircherus *in Ling. Ægypt.*

Ægypt. Reſtit. pag. 609. *et Idem* prolixius *in Oedipo P. I. ſyntagm.* 2. cuius egregii operis ichnographiam vide ad calcem *Prodromi Copti, ſiue Arabici pag.* 333. et *Carolus a* S. PAVLO in *Geographia* S. p. 270. edit. Belg. Huius urbis *Aſiuth* quoque mentio eſt apud IBN PATRICK, *ſiue Eutychium Alex. in nott. Cl. Seldeni ad Eutychii Eccleſiae ſuae origines pag.* 124. ubi de Meletio, huius urbis Epiſcopo et ſchiſmatico: وكان علي مدينة اسيوط من عمل مصر اسقف يقول له ميلطيوس *Et erat urbis Aſiothi, quae prouinciae eſt Ægyptiacae, Epiſcopus, nomine Meletius. Cl.* HILLERVS Onomaſt. S. pag. 672. dicit: *Abeſſinorum lingua* فام باستن, *Phym-byſith, denotare, portionem uxoris, ſc. Iſidis, ab Oſiride in matrimonium ductae. In huius gratiam Bubaſton conditam eſſe prodit* DIONYSIVS *L.* I. a) *interque alia in columna, Iſidi dicata, haec inſcripta fuiſſe;*

> *Mihi* BVBASTIA *urbs condita eſt:*
> *Gaude, gaude Ægypte, quae me nutriuiſti.*

Haec Inſcriptio plene exhibetur in *Petri* APIANI, *mathematici* b) *Ingolſtadienſis*, et *Barthol.* AMANTII, *poetae, Inſcriptionibus ſacroſanctae Vetuſtatis* (*Ingolſtadii*, 1523. *fol.*) ubi *pag.* 23. illa inuenta legitur *Calletiae*, in *Hiſpania Tarraconenſi*, in quadam columna,

---

a) Error typographicus in *Hillero*, qui multum operae mihi faceſſiuit, dum, omni adhibita induſtria, nullibi illam inſcriptionem, in DIONYSIO, inuenire potui, donec forte illam apud DIODORVM reperi, qui *L.* I. eam habet. Errores, qui ex falſa et peruerſa auctorum citatione et denominatione ſaepe doctis crucem fixerunt, perquam multos recenſet S. PITISCVS *in Lex. Antiquitt Rom praefat.*

b) Inſcriptionum harum collectio admodum rara eſt, quoniam in aedibus *Apiani*, in propria typographia, excuſa. Vid. TH. SINCERI *Nachrichten von lauter alten und raren Büchern* T. I. p. 307. (Franc. et Lipſ. ſeu potius Norib. et Altorfii 1731. 8.) et *Ioh.* VOGTII *Catalogus Hiſt. Crit. Libr. rar. p.* 14.

lumna, c) ſed *pag.* 136. dicitur *Iſidis ſepulchrum* in Nyſa Arabiae ſitum eſſe, cuius columnae haec inſcripta erant:

EGO SVM ISIS AEGYPTI REGINA
A MERCVRIO ERVDITA
QVAE EGO LEGIBVS STATVI NVLLVS SOLVET
EGO SVM MATER OSIRIDIS
EGO SVM PRIMA FRVGVM INVENTRIX
EGO SVM ORI REGIS MATER,
EGO SVM IN ASTRO d) CANIS REFVLGENS
MIHI BVBASTIA VRBS CONDITA
GAVDE GAVDE AEGYPTE
QVAE ME NVTRISTI e).

Graecis urbs haec Βουβαστος dicitur; ſic Βουβαστος Αιγυπτια, AELIANO *L. 12. Hiſt. Animal. c.* 29. EVSEBIO *in Onomaſt. S. p.* 46. *edit. Cel. Clerici:* Βουβατος, *πολις Αιγυπτου, εν Ιεζεχιηλ. Bubatos, ciuitas Ægypti in Ezechiele*; ſed HIERONYMO ibidem audit: *Bubaſtus, ciuitas Ægypti, iuxta Ezechielem. Nic.* SAMSON *in Geogr.* ſ. h. v. BVBASTVS, *Ægypti urbs, Ezech.* 30. 17. *ubi propheta praedicit, totam Ægyptum a Nabuchodonoſare rege vaſtatum iri.* ETYMOLOGICVM MAGNVM p. 206. Βουβαστος *πολις Αιγυπτου, και* Βουβατιτις *πολις, το εθνικον* Βουβαστιτης. SYLBVRGIVS *in notis* p. 11. *uſitatius eſt* Βουβαστιτις *πολις* et Βουβαστιτης *νομος.* apud STEPHANVM BYZANT. et alios; vid. L. HOLSTENIVS *ad Stephanum* h. v. p. 72. Verum urbis huius ſitum, qui erat extra Delta, ad medium fluuium Bubaſticum,

c) Quod etiam affirmat *Ioh. Marius* MATTIVS, *Brix. Opinionum* L. 2. in *Rob.* GAVDENTII *Miſcell. Italicis Eruditis.* T. IV. p. 442.

d) Erat hoc *ſidus ſirius*, quod proprio nomine *Iſis* dicebatur; vid. *Hadr.* IVNII *Animaduerſa* L. I. c. 5. p. 23. et *Nic.* CAVSSINVS *de ſymb. Ægypt. ſapientia* p. 81.

e) Eadem legitur etiam, ſed mutatis hinc inde verbis, in E. SCHEDII *eleg. libro de Diis Germanis* p. 226. 227.

ſticum, indicat Cl. LAKEMACHERVS *in Obſ. de Goſenitidis vero ſitu.* P. VI. *Obſervatt. Philolog.* p. 308. ATHANASIVS *Opp.* T. I. p. 188. *edit. nouiſſ.* Epiſcopatum olim εν Βȣϐαςω fuiſſe affirmat; confer, ſi placet, *Indicem geographicum Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani, a* I. A FABRICIO editum, ad calcem *Libri de ſalutari luce Euangelii* p. 34. et in *antiquis Notitiis Epiſcopatuum Eccleſiae Africanae* Βȣϐαςος recenſetur, *lib. cit.* p. 737. *Plura vid. apud Pompon.* MELAM. *L.* I. *c.* 9. MARSHAMVM *in Canone Chronico pag.* 46. Conf. CL. CELLARIVS *in Geogr. Ant. L.* 4. c. 1. *pag.* 33. Vox *Bubaſtos* mihi non videtur eſſe Ægyptia, ſed Graeca, a Graecis orta, et ex βȣς et αςυ compoſita; quaſi *urbem bouis* diceres, a cultu bouis, quem Ægyptii *Mneuim* appellabant, et ſpeciatim in urbe Heliopolitana nutriebant, et ſumma veneratione proſequebantur; ut Apis Memphi. Teſte enim STRABONE L. XVII. Τρεφεται θηλεια βȣς ιερα, καθαπερ ὁ Απις ἐν Μεμφει, εν Ἡλιȣ δε πολει ὁ Μνευις. ȣ̓τοι μεν ȣ̓ν θεοι νομιζονται; *Sacram ibi vaccam alunt, ut Apis quidem Memphi*, HELIOPOLI *autem* MNEVIS *nutritur: atque illi quidem* DII *putantur.* Plura habent AELIANVS *de Animal.* L. XI. c. XI. PIGNORIVS *in Menſa Iſiaca* p. 49. MOYNF *Varia S.* T. II. p. 635. BRAVNIVS *in ſelectis* S. p. 404. P. ZORNIVS *in Bibl. Antiq.* T. I. p. 660. Quod ſi vero cui vocis huius origo minus arrideat, ei aliam, non minus probabilem, et e Graecorum lingua deriuandam, proponemus. Notum enim ſatis eſt in philologorum palaeſtra deſudantibus, particulam *Bu intenſiuam* eſſe, et in compoſitione vocum *magnitudinem* a) indicare. Sic ΒΟΥΒΡΩΣΙΣ eſt *magna fames*; EVSTATHIVS *Il.* p. 564. *lin.* 20. *edit. Iunii.* ΒΟΥΠΟΡΟΣ, in numero plurium, redditur per οϐελȣς μεγαλȣς, *in* GLOSSIS HERODOTI p. 745. D *edit.*

a) Vid. VARRO *de Re Ruſt.* L. II. *c.* 5. SCHOLIASTES *ad Theocrit* p. m. 95. SELLIVS *diſſ. de Nominibus brutiſonis* p. 25. SAVBERTVS *de ſacrificiis* p. 493.

edit. Gron. ΒΟΥΠΑΙΣ, *ὁ μεγας παις*, apud SCHOLIASTEN THEOCRITI p. 69. BVLIMIA, *magna fames*; FESTVS, *et ibi* SCALIGER. BVCRANIVM, apud HARDVINVM, non denotat *caput bouis*, ſed *caluariam magnam*, et ſpeciatim *caluariam*, figuram talem referentem, *in diſſ. de Tauroboliis*, recenſita in N. G. ZEITVNG. A. 1727. N. 31. p. 311. aliaque quam plurima. Et ſic vox BVBASTVS compoſita eſſet ex particula hacce *bu*, et *αςυ*, indito euphoniae cauſa *b*. Vrbem enim hanc olim propter varium deorum cultum non minus, quam etiam *magnitudinem* celeberrimam fuiſſe, teſtantur eius adhuc rudera et reliquiae, ab itinerariis memoratae. LEO enim AFRICANVS ita de illa loquitur, *in deſcript. Africae*, p. 723. *edit. Elzeuir. Vetuſtam hanc ciuitatem Ægyptii, ad Nili ripam, ducentis et quinquaginta paſſuum millibus ab Alcairo conſtruxere.* ADMIRANDAM REDDIT EIVS VASTITAS, *et antiquorum aedificiorum et epitaphiorum, notis Ægyptiis inſcriptorum, varietas; licet potiori ex parte euaſtata. &c.* Quo cum conſentanea habet MARMOLIVS *in Africa* T. III. p. 287. *Cette ville*, (Aziot) *qu'on nommoit autre fois* BVBASTE, *eſt fort ancienne, et a eſte baſtie par les Egyptiens - - Elle etoit autre fois fort grande et fort peuplée, et l' on y voit encore les ruines des vieux baſtimens, auec pluſieurs inſcriptions Egyptiennes, ſur des colomnes et ſur des pierres.* &c. In hac urbe quotannis Ægyptii feſtum celebrabant in honorem *Dianae*, teſtante HERODOTO *in Euterpe cap.* 59. Inde et *Diana* BVBASTIS dicebatur. *Idem cap.* 137. et 150. *Εν τῃ και ἱερον εςι Βȣϐαςιος, ἡ δε Βȣϐαςις κατ' Ἑλλαδα γλωσσην εςι Αρτεμις. In hac* (urbe) *templum eſt Bubaſtis, quae Graeca lingua Artemis*, ſiue Diana. Et OVID. *Metamorph. L.* 8. *fab.* 13. *vſ.* 690.

Sanctaque BVBASTIS, *variisque coloribus Apis.*

Vid. CELLARIVS *l. c. p.* DEMPSTERVS *in Paralip. ad Roſin.* *L.* 2. *c.* 7. GYRALDVS *de Diis pag.* 381. *Hadr.* IVNII *Animaduerſa* L. IV. c. 29. et IAMESON *ſpicilegia Antiquitt. Ægypt.* p. 44.

44. STRABO *L.* 17. *pag.* 554. 559. tria animalia terreſtria uniuerſum Ægyptum coluiſſe affirmat, βου, κυνα και αιλουρον, *bouem, canem et felem.* PHILO, *Iudaeus, de Decalogo*, σεβουσι μεν, inquit, κυνας, αιλουρους &c. Cum vero Diana felis ſpecie coleretur, Bubaſtis, vel Artemis nomine, ipſam (felem) deam notarunt. STEPHANVS *Byzant.* de urbibus, voce Βουβαςος: ὁι δε Αιγυ-[illegible] *dicunt.* Et in hac felis, Dianae admodum grata, imagine ipſamet ſe abdidit, cum dii aduerſus Typhœum pugnarent. OVID. *Metam. L.* 5. *fab.* 7.

> *FELE ſoror Phœbi, niuea Saturnia vacca,*
> *Piſce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.*

ANTONIVS LIBERALIS *Metam. fab.* 28. Ὁι δε προμηθεια διεφυγον, αλλαξαντες, εις ζωα τας οψεις, και Απολλων μεν εγενετο ἱεραξ, Ἑρμης δε Ιβις, Αρης δε λεπιδοτος ιχθυς, ΑΡΤΕΜΙΣ δε ΑΙΛΟΥΡΟΣ κ. τ. λ. *Verum illi (Dii poſtquam a Typhone proſecuti) calliditate uſi, effugerunt, habitu in beſtias mutato, Apollo in accipitrem, Mercurius in Ibin, Mars in ſquamoſum piſcem,* DIANA *in* AELVRVM. &c. Vid. IAMESON l. c. p. 45. DEMPSTERVS *ad Roſinum* L. II. c. 7. Ὁμωνυμα Dianae ſacra fuit herba ARTEMISIA, ut VOSSIVS *Theol. Gent. L.* 9. c. 25. teſtatur, ſe apud poëtam Graecum ineditum ita inueniſſe; adde PLINIVM *Hiſt. N. L.* 25. *c.* 7. DIOSCORIDEM *L.* 3. *cap.* 110. et 111. et. *A.* MATTHIOLVM et BARTHIVM *ad Script. Venat. pag.* 138. Herba haec apud Ægyptios dicitur ΒΟΥΒΑϹΤΕΟϹ ΚΑΡΔΙΑ, i. e. *Bubaſteos cordium*, vel *cor Bubaſti*, quoniam Dianae cultus in hac urbe mirifice florebat, et ab illa forſan huius (Artemiſiae) herbae virtus primum fuit inuenta. Vid. APVLEIVS *de plant. cap.* 10. *cit. a Doctiſſ.* KIRCHERO *in Lingua Ægypt. Reſtit. pag.* 595. a) Exinde iam IOSEPHI *loco cit.*

 lucem

---

a) Quem de *plantis*, ſiue *herbis* librum alii non *Apuleio*, ſed CELSO, *Medico*, adſcribunt. Vid. Pagan. GAVDENTIVS *de Philoſophia apud Romanos, cap.* CX.

lucem aliquam dari poſſe nobis viſum eſt. Ille enim locum hunc plenum varia materia et ſacris animalibus, (ſoli ſc. ſacratis) eſſe aſſerit. PHILO Iud. L. II. *de Vita Moſis* p. 659. de LXX. interpretibus, a Ptolemao Philadelpho, ut S. ſcripturam idiomate Graeco induerent, vocatis, refert, *intra moenia nullum locum placuiſſe, referta quoniam erant* OMNIGENIS ANIMA- [illegible] παντοδαπων πληροθεντα ζωων. Cum vero apud Ægyptios cuiuscunque fere generis animalia, ut canis, felis, ibis, ſcarabaeus, crocodilus aliaque, ſummo honore, et numinum inſtar, venerarentur, adeo ut, ſi quis ibin aut volens, aut nolens necaſſet, morte hoc piaculum luere deberet. Hinc IVVENALIS *ſat.* 15. *vſ.* 11. de Ægyptiis loquens, ait:

> — — *Lanatis animalibus abſtinet omnis*
> *Menſa, nefas illic fœtum iugulare capellae.*

Et CICERO *Tuſul. Quaeſt.* L. V. ſcribit: *Ægyptiorum morem quis ignorat, quorum imbutae mentes prauitatis erroribus, quamuis carnificinam prius ſubierint, quam ibin, aut aſpidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent? quorum etiamſi imprudentes quippiam fecerint, poenam nullam recenſent.* Quid? quod ipſe dux populi Dei, *Moſes*, illuſtre teſtimonium EXOD. VIII. 26. exhibeat, in Ægypto ſacrificare detrectans, quoniam verebatur, ne lapidibus obrueretur, ſi ovem, aut arietem, quem Ægyptii colebant, mactaſſet. Non poſſum non, quin etiam iocoſum et feſtiuum huius cultus hic adducam exemplum, quod forte fortuna inueni apud *Athan.* KIRCHERVM *in Prodromo Copto pag.* 242. ubi, recenſendo venerationem fimeti apud Ægyptios ſcarabaei, egregium e *tract. Arab. qui Dialogus duorum Peregrinorum* inſcribitur, teſtimonium affert. Vile enim illud animal Ægyptiis quondam in ſumma reuerentia fuiſſe, ſatis tritum eſt, adeo ut per publicas incedentes vias, hoc unum, ne numen illud ſordidum pedibus obtererent, cauerent. Verba illa, ob libri huius rarentiam, in Philarabum gratiam apponere non grauabor:

وكانا

وكانا رجلان فرسي ومصري سايران الي كورة بعيدة فبين
ما كانا ما صيان في الطريق. راي الرجل المصري الرجل الفرسي
انه يدوس بالاتفاق علي الخنافس الذي هو مارعا
كره من الشر يغيبن وصرخ المصري بصوت عظيم نشهد
كا الهتهم انه كلن نقي من هذه الخطية فلما ساله
الفرسي سبب هذا العويل فا جاب هل انت تخاف تضي
الهتنا الذي لصورتهم هكذا ☼ *Duo viri, Perſa et Ægyptius, proficiſcentes in regionem longinquam, iis ambulantibus, cum Ægyptius videret, quod Perſa ſcarabaeum, qui pilulam, e ſtercore aſini conglobatam, voluebat,* (*) *forte calcaret, miſerabili ploratu omnes teſtatus eſt deos, ab hoc crimine immunem ſe eſſe; cumque inſolitae eiulationis cauſam Perſa rogaret, reſpondit Ægyptius: Nonne tu dei noſtri vindictam times, qui imaginem eius ita indigne tractare audes?* Conſpirat DIOD. SICVLVS L. I. no. 83. *narrans,* REM A SE VISAM, *non ex auditione acceptam, cum Romanus quidam felem occidiſſet, facto a plebe concurſu ad domum illius, qui hoc admiſerat, neque principes, a rege (Ptolemaeo) ad deprecandum miſſi, neque communis Romani nominis timor potuerunt*

 homi-

(*) Ratio eſt, quia ſcarabaeus e ſtercore aſini progigni dicitur; marem enim ſcarabaeum ſemen ſuum in fimum aſini immittere, quo in globum conuoluto et formato nouos exinde produci ſcarabæos, ut oſtendit egregie *Cel. Iac.* HASAEVS *Muſei Phil. Brem. T. 1. pag.* 271. *add.* PLINIVS *H. N. L. XI. c. 28.* AELIANVS *Hiſt. Anim. L. X. c. 5.* EPIPHANIVS *in Panario, baereſi 40. contra Archonticos; Sim.* MAIOLVS *Dier. Canicul. T. 1. coll 5. p. 132.* edit. Mogunt 1610 4 *Pierii* VALER. *Hieroglyph. L. 8. c. 15. 16.* CASALIVS *de prof. Ægypt. &c. Ritibus c. 18 p. 34.* et *Cel.* GOLIVS *in not. ad Adagia Arab. Erpenii Gramm. affixa pag. 140.* H. IVNII *Animaduerſa* l. 2. c. 1. HORAPOLLO *apud Cauſſinum de ſymbolica Ægypt. ſapientia* p. II. *12. et* CAVSSINVS *in Obſeruatt. ad Horum.* l. c. p. 95. PHILO *Iud.* in L. *de Decalago* p. 755.

hominem a poena eximere, quamuis id feciſſet imprudens; qui locus exſcriptus etiam legitur in DILHERRI *Diſputt. Academ.* T. 2. p. 36. Quod ſi vero felis in domo (*) aliqua mortem oppetiiſſet, habitatores domus huius omnes ſupercilia eradebant, et felem mortuam efferebant ad ſacra tecta, ubi ſalita, ſepeliebatur in urbe Bubaſti; referente HERODOTO in *Euterpe cap.* 66. 67. Et his animalibus partim locus ille apud Ioſephum plenus ſuiſſe videtur, partim aliis ſoli ſacratis ibidemque ſuſpenſis. Plura adhuc afferri poſſent, ſed calamum currentem breuitatis ſtudium frenat. Conferendi de *idolomania Ægyptiorum* ſunt COMMENTATORES ad *Apologos Chriſtianos*, ARNOBIVM, MINVTIVM FELICEM *aliosque*; et *Eraſmi* GARBO *diſſ.* 4. *de Idololatria Ægyptiorum. Hafniae* 1718. *ſq.* DILHERRI *Diſputt. Acad.* T. I. p. 244. ſq. ZIMMERMANNI *Analecta Miſcella* p. 50. I. B. CASALIVS *de Vett. Ægypt. Ritibus. cap.* 4. 5. Cl. *Abbas* BANIER *dans les Memoires de Literature de l' Academie Royale des Inſcriptions* T. 4. p. 116. ſq. (*Hagae* 1719. 8.)

§. X.

(*) Caeterum de FELIS apud Ægyptios cultu praeter citt. vid. PLVTARCHVS *de Iſide et Oſiride:* GYRALDVS *de Diis ſyntagm.* 2. BEYERVS *ad Seldenum de Diis Syris* p. 239. FARNABIVS *in Iuuen. Sat.* 15. 2. ELMENHORSTIVS *in Arnobium L.* 1. *pag.* 25. edit. Lugd. 1652. MARSHAMVS *in Canone Chron. p. 66.* DIETERICVS *in Antiquitt. Bibl. T. I. pag. 449.* OVZELII *Animadv. in Minut. Fel.* p. 163. PFANNERVS *in Theol. gent.* p. 2. SALDENVS *in Otiis Theolog.* p. 149. VOSSIVS *de theol. gent.* L. III. c. 74. p. 561. *Ioh.* SARTORIVS *de hypocriſi gentium circa cultum deorum* p. 24. ALBERTI *Diſp. de cultu idololatrico beſtiarum* Lipſ. 1669. *Laur.* PIGNORIVS *in Menſa Iſiaca.* p. 66. ANON. *Diſſertation ſur la preeminence des Chats dans la ſocieté ſur les autres animaux d' Egipte &c. in N. Gel Zeitungen* A. 1741. N. I. p. 8. FELEM quoque *Muhammedi* et *Turcis* in deliciis eſſe, dicit A. G. BVSBEQVIVS *in Epiſt.* 3. p. 178. *edit. Elzeuir.*

§. X.

Praecipuum argumentum, quo Onias ad templum exſtruendum apud Ptolemaeum Philom. uſus, et quo illud Iudaeis legitimum eſſe perſuaderet, fuit prouocatio ad vaticinium *Ieſaiae XIX.* 18. 19. Hinc IOSEPHVS *L.* 13. *A. I. cap. VI.* inquit: Τουτο δε εβουλετω θαρρων μαλιστα τω προφητη Ησαια, ὁς ετεσιν εμπροσθεν ἑξακοσιοις, πλεον γεγονως, προειπεν, ὡς δει παντως εν Αιγυπτω οικοδομηθηναι ναον τω μεγιστω Θεω ὑπ ανδρος Ιουδαιου: *Hoc autem conſilium cepit, fretus maxime prophetae Ieſaiae vaticinio, qui ante ſexcentos amplius annos praenuntiarat, fore omnino, ut templum aliquando Deo maximo aedificaretur in Ægypto, a viro Iudaeo;* Et ibidem, in literis ad Ptolemaeum, ita ſcribit Onias: Και γαρ Ησαιας ὁ προφητης τουτο προειπε, εσται θυσιαστηριον εν Αιγυπτω κυριω τω Θεω: *Nam et Ieſaias vates praedixit, quod erit Domino Deo ſacrarium in Ægypto: Conf. L. 7. de Iud. cap.* 30. Conſentientes, hac in parte, Ioſephus habet Iudaeos; uti in *Iuchaſin, cod. Menachot et Ioma,* apud *R. Dauid.* GANTZ *in Chronologia S. ſiue* צמח דוד *P. 2. ad annum* 585. וכתוב בספר יוחסין דפק״לה שחוניו בן שמעון לקח ממנו רשות לבנות בית המקדש באלכסנדריאה של מצרים: והשיב לו המלך איך יהיה היכל י״י בארץ טמאה אז חוניו הביא ראיה מישעיה שניבה על זה ביום ההוא יהיה מזבח ליי״ צבאות בארץ מצרים ונתן לו המלך את שאלתו ובנה שם בית המקדש דמות המקדש אשר בירושלים: ודבר זה תמצא באריכות בסוף מסכת מנחות גם ביומא דירושלמי פרק שני שעירי: Id eſt, ſecundum verſionem *Guil H. Vorſtii, pag.* 177. (edit. Lugd. 1644. 4.) *Scriptum autem eſt in libro Iuchaſin pag.* 138. *Oniam, filium Simeonis, ab eo* (Ptolemaeo Philom.) *facultatem accepiſſe exſtruendi templum Alexandriae in Ægypto; et reſpondit ipſi rex, quomodo templum Domini futurum eſſet in terra immunda: tunc protulit Onias probationem* (viſionem) *ex Ieſaia, quod de eo vaticinatus erat:* Die iſto erit altare Domini in terra Ægypti (*Ieſ.* 19. 18.). *Et conceſſit ipſi rex poſtulatum eius, et exſtruxit ibi tem-*

plum

plum ad figuram ſanctuarii, quod erat Hieroſolymis. Rem hanc fuſe inuenies ſub finem tractatus *Menachot et in Ioma Hieroſ. cap.* 12 cuius haec ſunt verba: חוניון ברח להר המלך משם ברח לאלכסנדריאה ועמד ובנה שם מזבח וקרא עליו את הפסוק הזה ביום ההוא וגו׳ *Onias fugit in montem regium, et inde Alexandriam fugit ibique ſubſtitit, et aedificauit altare, et legit ſuper illud textum illum Ieſ.* 19. In die illo *&c. R. Sal. Iſaacides, ſiue* RASCHI *ad Ieſ.* 19. de verbis, ex *Menachot* citatis, loquens ait: ויש מרבותנו שדרשוהו במסכת מנחות על מזבח בית חוניו בנו של שמעון הצדיק שברח לו למצרים ועשה שם מזבח *Sunt ex Rabbinis noſtris, qui expoſuerunt in tractatu Menachot de altari templi Oniae, Simeonis filii, qui fugit in Ægyptum, et ibi altare exſtruxit.* Vid. BARTENORIENSIS apud *Seldenum* de ſucceſſ. *L. I. c.* 8. *et* OTTONIS *Hiſt. Doct. Miſchn. pag.* 24. *et ibid. nota* Cl. RELANDI. An vero propheta Ieſaias huc reſpexerit, et an eius vaticinium in condendo hoc templo fuerit impletum, cum res altioris ſit indaginis et maioris ponderis, quaeque multis difficultatibus eſt obſepta, ſingulari capite id infra pertractabimus.

CAP. III.

De ſplendore et gloria templi Oniae.

ARGVMENTVM.

§. 1. *Ioſephi* et Rabbinorum de gloria huius templi ſententia proponitur. §. 2. de cultu in hoc templo peracto, num legitimo an ſecus? inquiritur. §. 3. Num templum hoc praeferendum templo, in monte Gerizim exſtructo? § 4. An cultus aſinini calumnia ab hoc Oniae templo deriuanda? *Tan. Faber* notatur. §. 5. Deſtructio templi.

§. I.

Iactis ergo templi huius fundamentis, de ſtructura interiori eiusque ſplendore ſollicitos adhuc nos eſſe oportet. IOSEPHVS, hac de re optime inſtructus, iterum in partes nobis erit vocandus, qui *L. VII.* de *B. Iud. cap.* 30. ita de ſtru-

ſtructura huius templi loquitur. Ονιας τον μεν ναον ουχ ὁμοιον ωκοδομησε τω εν Ἱεροσολυμοις, αλλα πυργω παραπλησιον, λιθων μεγαλων εις ἑξηκοντα πηχεις ανεστηκοτα. Τȣ βωμȣ δε την κατασκευην προς τον οικον εξεμιμησατο, και τοις αναθημασιν ὁμοιως εκοσμησε, χωρις της περι την λυχνιαν κατασκευης. ȣ γαρ εποιησε λυχνιαν, αυτον δε χαλκευσαμενος τον λυχνον χρυσȣν επιφαινοντα σελας χρυσης ἁλυσεως εξεκρεμασε. Το δε τεμενος παν οπτη πλινθω περιετετειχιστο πυλας εχοντι λιθινας. *Onias templum diſſimile ei, quod eſt in Hieroſolymis, turrim autem ſimilem exſtruxit, ingentibus ſaxis, ſexaginta cubitis, erectam. Arae autem fabricam, ſecundum patriam imitatus eſt, et donariis ſimiliter exornavit, praeter candelabri confectionem. Candelabrum enim non fecit, ſed informatum aureum lychnum, tanquam iubaris luce radiantem, de aurea catena ſuſpendit. Totum vero, circa templum, ſpatium cocto latere circumdedit, ſaxeas portas habente.* Sunt etiam, qui huc magnificam illam et ſesquipedalibus fere celebratam verbis Alexandrinorum ſynagogam referunt, cuius magnificentiam Iudaei in utroque cod. SVCCAH et PHILO, *Iudaeus, in Legatione ad Caium*, prolixe ſatis recenſent. Conf. *Gem. Hieroſ.* יומא *fol.* 43. *col* 4. LIGTHFOOTVS in *Matth.* 2. T. 2. p. 260. DACHS *in nott.* ad *Succah Babyl.* p. 422. *Cl.* CARPZOVIVS *in Schikardi Ius Reg. pag.* 198. OTTONIS *Hiſt. Doct. Miſchn. pag.* 26. ABARBANEL, *praefat. in libros Regum*, gloriam Iudaeorum Alexandrinorum deſcribens, dicit: *Qui non vidit illorum gloriam, non vidit gloriam tota ſua vita* (*); et ſubiungit, *Alexandriae fuiſſe ſanctuarium et altare, officinam ſuffitus et panum propoſitionis, et ſcholas ſine numero.* Mirum vero, quod Onias, cum templum hoc exſtrueret, in omnibus templi Hieroſol. ſacri ſtructuram non fuerit imitatus. Ioſephus enim expreſſis verbis dicit, templum

E illud

(*) Eadem Iudaei praedicant de domo, Ezechielis tumulo impoſita, *ut, quisquis hanc non viderit, nunquam pulchram fabricam vidiſſe iudicandus ſit &c.* R. PETACHIAS *in Itinerario, apud.* I. C. WAGENSEILIVM *in Exercitt. varii argumenti.* p. 181.

illud ὀυχ ὅμοιον, *diſſimile*, fuiſſe Hieroſolymitano, a) turrim autem ſimilem; ſic etiam fabrica altaris erat aemula Hieroſol. quemadmodum et divitiae Hieroſ. multis poſt ſe opes huius templi relinquebant paraſangis; nec tamen lychnuchum ſacro ſimilem facere, et in templo collocare fuit auſus, ſed eius loco aliud quid, ei ſimile, ſubſtituit, aureum lychnum, ſc. ſplendore et iubare auri coruſcantem et quaſi ardentem, aurea catena de laqueari ſuſpendit. Iudaeis enim lychnuchum ſacro ſimilem conficere non licebat, etſi uſibus ſacris etiam eſſet deſtinatus. Hinc patres Talmudici in *Gemara Roſch Haſchana. fol.* 25. et *Gem. Avoda Zarah. fol.* 43. 1. apud *Cel.* RELANDVM *de Spoliis Templi Hieroſol. pag.* 15. tale praeceptum ſanciuerunt: לא יעשה ארם בית תבנית היכל אכסדרא תבנית אולם חצר תבנית עזרה שולחן תבנית שולחן מנורה תבנית מנורה אבל הוא עושה של ה׳ ושל ו׳ ושל ח׳ ושל ז׳ לא יעשה אפילו של שאר מיני מתכות ר׳ יוסי בר יהודה אומר אף של עץ לא יעשה כררך שעשו בית השמונאי; *Ne exſtruat quisquam domum ad ſimilitudinem aedis ſacrae, aut exedram inſtar pronai, aut aream inſtar atrii ſacri, aut menſam inſtar menſae, aut lychnuchum inſtar lychnuchi ſacri. Sed licebit lychnuchum facere quinque, ſex vel octo ramorum, non vero ramorum* 7; *etiamſi non ex auro, ſed ex aliis metallis conſtet. R. Ioſe, filii Iehudae, ſententia eſt, etiamſi ex ligno lychnuchum faciat, non licere; quod talem Chaſmonaei fecerint.* Vid. et HOTTINGERVS *de Legg. Hebr. p.* 329. Ne vero templum hoc omni ornamento orbatum videretur, ἀναθήμασι, *donariis*, illud, teſte IOSEPHO, fuit ornatum. Antiquiſſimo enim more erat receptum, templa divitiis et donariis exornare. Non hic prolixi ſumus in recenſen-

a) *Ioh. de* MONTEVILLA, *Eques Anglus, in Itinerario. p. m.* 42. 43. dicit: *In Egypten ligt ein Stadt, die heiſt* ELIOPLE, *oder* DERSOLA, *auf Teutſch* DER SONNEN STADT. *In derſelbigen Stadt iſt ein Tempel, gebauet nach dem Exempel zu Ieruſalem;* ER IST IHM ABER GANTZ VNGLEICH.

ſendis ornamentis tabernaculi, et templi Salomonaei. Sufficit dixiſſe, vel Deum ipſum exemplum praebuiſſe, cum veſtes non ſolum ſacerdotum, et pontificis inprimis ſummi, pretioſiſſimas et ornatiſſimas fieri iuſſit, ſed et vaſa et inſtrumenta, ex auro argentoque, ut ſummi numinis maieſtas exinde reluceret, parari voluit. Innumeris etiam liquet exemplis, plerosque veterum non tantum templa pretioſis ornamentis tabulisque votivis decoraſſe, ſed et ſcuta, gladios aliaque vaſa, imo et pecuniam in ſacris aedibus deponere fuiſſe ſolitos; deos deasque illius futuros fideliſſimos cuſtodes. Sic *Chryſalis* ille Plautinus, ficto in periculo, ad ſenem Nicobulum:

Nos apud Theotimum omne aurum depoſuimus,
Qui illic ſacerdos eſt Dianae Epheſiae.

Et paulo poſt:

Quin in ipſa aede Dianae conditum eſt,
Ibidem publicitus ſervant.

PLAVT. *Bacchid.* 2. 3. *vſ.* 72. Salomo quoque templo ſuo ducentos ex puriſſimo auro donavit clypeos; et rurſus trecenta puriſſimi auri ſcuta: 1. *Reg. X.* 16. 17. *et XIV.* 25. Sic templum ſecundum bonis lapidibus et αναθημασι ornatum fuiſſe dicitur LVCAE XXI. 5. Vid CASAVB, in Diog. Laert. pag. 37. SCHEFFERVS et KVHNIVS *in Ælian. L. XI. p.* 527. PERIZONIVS *in Ælian. L.* 13. *p.* 793. DOVGTHAEVS *Analect. V. T. excurſu* 114. KVNTZII diſſ. qua *ſacram et profanam αναθηματων hiſtoriam, ſigillatim veſtes in templis ſuſpenſas,* pertractat. Ienae 1729. Hinc et apud veteres non tantum propter idola, ſed et ob opes, quae ibi reconditae erant, templa cuſtodiebantur. Vid. Cel. LE MOYNE *in Variis S. T.* 2. *p.* 120. Eodem alludit IVVENALIS *Sat. XIV. vſ.* 260.

Et ad vigilem ponendi Caſtora nummi.

Conf. *ibid Interpretes.* Sic et ſaxa, variis figuris inſignita, in illis collocabantur. *Vid.* LE MOYNE *Varia S.* T. I. *Prolegom.*

gom. nota * 33. 2. Quid, quod donaria inter templorum praecipua reputabantur ornamenta, probantibus Ill. SPANHEMIO in *Callim. Hymn. Dianae. vſ.* 229. et PITISCO in *Sueton. Aug. cap.* 30. *pag.* 224. Plura de *αναθηματι, donariis* templorum, qui vult, adeat *Tob* ECKHARDVM in eleg. diſſ. *de Templo Cappadociae Comano* (Quedlinb. 1721.) §. 45. et ſeqq. SAVBERTVM *de Sacrific. Vet. p.* 567. &c. Cel. DEYLINGIVM *Obſerv. S. P.* 2. *obſ.* 42. §. 5. Cl. FABRICIVM, vaſtiſſimae lectionis virum, in *Bibliogr. Antiq.* p. 298. et 304. *Mich.* LEIGH *diſſ. de Donariis, Hafn.* 1677. apud *Alb.* THVRA *in Idea hiſt. litterar. Danorum.* p. 95. *Fr. Fern. de* CORDONA *in Didascalia Multipl.* libro his oris raro, *cap.* XXII. p. 231. ſq. DILHERRI *Diſputt. Academ.* T. 2. p. 438. &c. I. I. MADERVS *in notis* ad *On.* PANVINIVM *de triumpho* p. 67. *Patav.* 1681. *fol. Car.* NEAPOLIS *Anaptyxis ad Faſtos Ovidii* p. 121. *Rad.* FORNERII *Rerum. quotidian.* L. VI. c. 4. p. m. 144. I. G. LAKEMACHERI *Antiquitt. Graec.* S. p. 243. ſq.

§. II.

Quod attinet ad cultum, in hoc templo peractum, num legitimus fuerit, an ſecus, ſatis equidem patet, Oniam, cum hanc rem fuerit aggreſſus, a zelo religionis et avito Deum colendi modo defeciſſe; quandoquidem ipſum non fugiebat, Deum, ſub V. T. alibi per ſacrificia noluiſſe, niſi Hieroſolymis, coli, quem locum Iehova ipſe ſibi elegerat. *Deut.* 12. *et* 13. &c. Cauſas, cur Deus unum tantum altare, unumque pontificem maximum eſſe voluerit, ex *Clerico* &c. exponit *Theoph.* AMELIVS, ſive CL. P. ZORNIVS in *Enodationibus V. T.* vernacule editis *T.* 2. *pag.* 206. *in nott.* et *Idem* in *Comment. ad* HECATAEI, *Abderitae, Fragmenta* p. 13. Notandum hic etiam, omnem cultum extraneum, ſive ſponte, ſive per errorem a ſacerdote exhibitum, eum ita vitiaſſe, ut altari aeternum, licet ſeriam peregiſſet pœnitentiam, arceretur. Notatu dignus eſt locus MAIMON. in ה׳ ביאת המקדש c. 9. apud

Cl.

Cl. Seldenum L. 2. de ſucceſſ. in Pontif. cap. VI. כל כהן שׁעבר עבודה זרה בין במזיד בין בשוגג אעפ׳ שחזר בתשובה גמורה הרי זה לא ישמש במקדש לעולם שנ״ לא יגשו אלי לכהן לי אחר העובד אותה בשירות כגין שנעשה מימר לעבודה זרה או המשתחוה לה׳ המורה בה וקבלה עליו באלה הרי זה פסול לעולם וג׳ר׳ *Quicunque ſacerdos cultum praeſtiterit extraneum, ſive id ſponte fecerit, ſive ex errore, tametſi, ſolenniori poenitentia ductus, ad bonam mentem redierit, in ſanctuario nihilominus officio nunquam fungetur. Nam et ſcriptum eſt:* (Ezech. 44. 13. ubi de ſacerdotibus, qui idola coluerant, agitur) non appropinquabunt ad me, ut ſacerdotio fungantur mihi. *Neque diſcrimen eſt heic inter eum, qui, ut ſacerdos, in cultu extraneo miniſter fuerit, et eum, qui adoraverit idolum, et eum, qui agnoverit in eo divinitatem, eique ſe addixerit: Hi omnes aeternum altari ſunt arcendi.* Vid. MAIMON in *lib. de Idololatria, ſive* ה׳ עבודת ככבים ומזלות *cap. 3. m. 1.* et *Idem* in *lib. de fundamentis legis*, ſive ה׳ יסודי התורה *cap. IX. m. 6.* Prolixe hac de re diſputatur in *Mardochaei, notitia Karaeorum* a *Io. Chriſtoph.* WOLFIO cum *nott. erud. edita* Hamb. p. 108-109. Si vero ſacerdos quis alibi, quam in templo Hieroſol. obtuliſſet vero Deo ſacrificia, non quidem illa, ut in loco profano et idolis ſacrata, habebantur, ſed tamen ſacerdoti illi in ſanctuario officio fungi nunquam non erat prohibitum. Hinc MAIMON. loco ſupra cit. pergit. מי שעבר ועשה בית חוץ למקדש להקריב בו קרבנות לשם אינו כבית עז״ ואעפ״ כן כל כהן שישמש כבית הזה לא ישמש במקדש לעולם וכן כלים שנשתמש בהן שם לא ישתמשו בהן במקדש לעולם אלא יגנזו ויראה לי שאם עבר כהן ששמש שם במקדש לא פסל *Qui, lege ſacra violata, exſtruxerit templum extra ſanctuarium, ut offerat ibi ſacrificia vero numini, non quidem templum illud, quale templum idolis ſacratum, habetur. Verum tamen ſacerdos, quicunque in eiusmodi templo miniſtraverit, ſanctuario aeternum eſt arcendus; quemadmodum etiam inſtrumenta, ibi in cultu adhibita, adhiberi nunquam debent in ſanctuario, ſed in gazophy-*

lacio ſunt reponenda. Caeterum, videtur mihi, ſi modo forte ſacrificaverit in ſanctuario ſacerdos, qui in eius modi templo antea miniſterio functus eſt, actum eius minime profanum eſſe. Haec etiam Gemarici affirmant de templo hoc Oniae, in cod. MENACHOTH *c.* 13. §. 10. apud SELDENVM l. c. et BRAVNIVM *in ſelect. S. L.* 3. *c.* 1. §. 18. הכהנים ששמשו בבית חניו לא ישמשו במקדש שבירושלם ואין צריך לומר לדבר אחר שנ״ אך לא יעלו כהני הבמות על מזבח ה׳ בירושלם כי אם אכלו מצות בתוך אחיהם הריהן כבעלי מומין חולקין ואוכלין אבל לא מקריבין *Sacerdotes, qui miniſtrarunt in templo Oniae, non miniſtrabunt in templo Hieroſolymitano; nec opus eſt, ut praeterea quidquam dicamus* (de idololatris) *nam ſicut ſcriptum eſt* (2. Reg. 23. 9.): Tamen non aſcendebant ſacerdotes excelſornm ad altare Domini Hieroſolymis, ſed comedebant azymum in medio fratrum ſuorum. *Ecce illi ſunt inſtar eorum, qui vitio corporis laborant, partem ſuam accipiunt, et comedunt, ſed non offerunt.* Vid ad h. l. MOSES MIKOTZI in ה׳ מצות גדול no: 309. et CVNAEVS *L. I. de Republ. Hebr. cap.* 8, *et.* VSSERIVS *in Annal. Vet. Teſt.* p. 355.

§. III.

Quaeſtio hic ſubnaſcitur, num Oniae templum praeſtiterit templo, in monte Garizim condito. Vtrumque enim a profugo ſacerdote, ſub vario praetextu, illud divinae prophetiae, hoc ſub praetextu montis benedictionum, fuit extructum. Iudaeos tamen mitius de templo Oniae iudicaſſe, notum eſt. Elegans ſane eſt teſtimonium Gem. *Menachoth fol.* 109. apud LIGTHFOOTVM *T.* 2. *Opp. pag.* 616. *Quicunque dixerit: Voveo ego holocauſtum; offerat illud in templo Hieroſolymitano: ſique offerat illud in templo Oniae, non praeſtat votum. Si vero dicat: Voveo ego holocauſtum, offerendum in templo Oniae; offerat in templo Hieroſol. quod ſi offerat in templo Oniae, praeſtat officium ſuum. Si quis dicat: Voveo Naziraeatum; tondeatur in templo Hieroſ. ſi vero tondeatur in templo Oniae, non praeſtat of-*

ficium

ficium ſuum. At ſi dicat, voveo Naziraeatum, ut tondear in templo Oniae, et tondeatur ibi, praeſtat. Hinc etiam Gemarici uno ore confitentur in AVODA ZARAH *cap.* 4. בית חניו לא בית עבודה זרה היה *Domum Oniae non fuiſſe templum cultus idololatrici.*

§. IV.

Notandum hic, non defuiſſe, qui ab hoc Oniae templo calumniam illam, ſatis et in triviis celebratam, aſinini cultus, Iudaeis affiрti, originem deduxerunt, ut *Tanaq.* FABER *Epiſt. L. I. Epiſt. VI.* (inſerta etiam in Cl. ZORNII *Bibl. Antiq.* T. I. pag. 229. &c.) quoniam illa regio, ſecundum *Ioſephum L.* 14. *Ant. Iud. c.* 14. nomine Ονειȣ ſc. Νομȣ, vel Χωρας gaudebat, et templum ipſum Ονιȣ ἱερον, ſive Ονιειον dicitur, cum vero Ονιȣς, vel ονειον, aſinos, aut aſininum quid denotet, inde paulatim gentiles ονολατρειας originem derivaſſe; quam tamen *Cel. Fabri* conieсturam, tanquam frivolam et frigidam (*), multi eruditorum iam pronuntiarunt, inprimis id docte oſtendit Cel. quondam PRAESES *noſter*, *Th.* HASAEVS, cuius cineres mihi adhuc ſunt in pretio, in erudito de ονολατρεια, ſive *calumnia cultus aſinini, a gentilibus olim Iudaeis et Chriſtianis impacta, libro.* (Erfurti et Lipſ. 1716.) *pag.* 47. *et* 55. et *Fr.* SPANHEMIVS l. c. p. 453.

§. V.

Templum hoc denique Caeſar, cum Iudaeorum inquietum circa res novas animadverteret caveretque ſtudium, neve in unum, adſcita populi factione, congregarentur, a Lupo, Alexandriae rectore, claudi et, ablatis αναθημασιν, obſerari iuſſit. Lupo, poſtmodum exſtincto, dignitati et muneri

(*) Licet AVCTOR *de l' Hiſtoire de l' Academie Royale des Inſcriptions et belles Lettres illam bene excogitatam, bien imaginée,* dicat, T. I. p. 185. *Hagae* 1718. 8.

neri eius Paulinus ſucceſſit, qui, auri ſacra adactus fame, omnia aedis huius ornamenta abſtulit, vi minisque ita ſacerdotes adegit, ut quicquid praeclarum, quicquid decorem et ornatum huic conciliaret aedi, proferre eique tradere deberent. Et hic, clauſis foribus omnibus, ad templum, religionis cauſa, venientibus introitum denegans, aditum plane inacceſſum fecit, nullo ibidem divini cultus ne quidem relicto veſtigio. *Χρονος ην εις την αποκλεισιν τȣ ναȣ γεγονως απο της κατασκευης ετη τρια και τεσσαρακοντα και τριακοσια. Fluxerant autem*, inquit Ioſephus, *a templi conditu usque ad tempus, quo clauſum erat, anni trecenti quadraginta* (male Rufinus triginta) *tres*: de *Bello Iud. L.* 7. c. 30. Hic tamen circa durationem huius templi, ab exſtructione ſc. usque ad eius ruinam, multi fluctus moventur. HIERONYMVS *in cap. IX. Danielis* de hac aede ait, *quod permanſerit usque ad imperium Veſpaſiani annis* 350. IOSEPHVS, ut modo vidimus 343. *R. Obadias de* BARTENORA, apud SELDENVM *de ſucceſſ. l. cit. dicit.* ועמר הבית ההוא קרוב למאתים שנה ונקרא בית חוניו: *Et ſtetit templum illud circa ducentos annos et nomen accepit domus, ſeu templi Oniae*: cui calculum ſuum addit *R. Salomon* BEN VIRGA in שׁבט יהודה p. 72. *verſ. Gentii.* IOSEPHVM vero hic hallucinatum eſſe, plurimi iam obſervarunt, et integrum annorum centenarium, in computatione ſua, addidiſſe, et inde patet, quoniam Iudaei de illo templo praedicant, illud tantum circa ducentos annos ſtetiſſe, cum tamen exſtructio, quoad ipſorum hypotheſin, excurrat aetatem Philometoris, adeoque longe ſupra ducentorum annorum ſpatium; unde pro *τριακοσια* ſc. *ετη* legendum *διακοσια*, *ducenti* ſupra 43. annos. Sic denique omnia fluunt, et tempori Ptolemaei conveniunt; nam ita accurate in exputatione hac, ob difficultates chronologicas, procedere non licet. vid. *Ill.* SCALIGER *in Animadv. ad Euſeb. pag.* 144. SPANHEMIVS l. c. dicit: *Vix ſtetit templum ultra annos* 222. *putando ab anno* 161. *Graecorum, Per. Iul.* 4562. *ante aeram Chriſt. CLII. ad A. Chriſti*

Chriſti Vulg. LXXI. *Per. Iul.* 4784. ſecundum *Sethum* CALVISIVM vero, putando ab anno 161. ante C. N. usque ad A. 73. poſt. C. N. qui duo numeri conficiunt iuncti 234. annos. *l. c. p.* 458. HERM. CONTRACTVS numerum rotundum 250. annorum poſuit, putans a tempore Ptolemaei Epiphanis ad imperium Veſpaſiani; *in Chronico* T. I. *Scriptorum Rerum German. Piſtorii et Struvii.* p. 129. Plura ſententiarum, circa durationem huius templi, divortia adducere et evolvere nec vacat, nec lubet. Circa autorem deſtructionis huius templi aliqua difficultas occurrit, quæ tamen non tanti eſt; quem alii Veſpaſianum, alii Traianum faciunt. Sic *Gem. Hieroſol.* SVCCAH *fol.* 55. quaerit: מי החריבו טרוגינוס הרשע *Quis* (templum hoc) *vaſtavit? Traianus impius.* Optime vero, Veſpaſianum tantum claudi iuſſiſſe, ſed Traianum prorſus deſtruxiſſe et ad incitas redegiſſe, ſtatuitur.

CAP. IV.

De Vaticinio IES. XIX. 18. 19.

ARGVMENTVM.

§. 1. Prophetia Ieſaiae XIX. proponitur, num הרס, an חרס ibidem legendum, عين, עין, denotat urbem, quid עין סוכר? MORINVS notatur: عين شمس, Ainſchemes, eſt Heliopolis, et עיר הרס itidem Heliopolis. §. 2. Sententiae variae *Seder olam*, ABARBANELIS, GROTII &c. circa implementum loci Ieſ. reiiciuntur. §. 3. HVETIVS notatur. §. 4. Implementum huius loci brevibus indicatur. §. 5. Concluſio.

§. I.

Inter alia, quibus Onias Ptolemaei animum tentare et, ut rogatam templi exſtructionem permitteret, inducere voluit, ſi Ioſepho fides ſit habenda, inprimis eſt productio loci *Ieſ. XIX.* 18. 19. ubi propheta praedixit, Deo templum aliquod, ſeu altare fore in Ægypto: ביום ההוא יהיו חמש ערים בארץ מצרים מדברות שפת כנען ונשבעות ליהוה צבאות עיר ההרס יאמר לאחת ביום ההוא יהיה מזבח ליהוה בתוך ארץ מצרים ומצבה אצל גבולה ליהוה *In*

die

die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes labio Canaan, et iurantes per Iehovam exercituum; civitas Heres decetur una. In die illa erit altare Iehovae in medio terrae Ægypti, et titulus iuxta terminum eius ipſi Iehovae. IOSEPHVS ait, Ieſaiam vaticinium illud ante ſexcentos amplius annos praedixiſſe, fore omnino, ut templum aliquando Deo maximo aedificaretur in Ægypto, *idque Iudaei hominis opera. L.* 13 *Ant. Iud. c.* 6. et *L.* 7. *B. Iud. c.* 30. quae tamen ultima verba, ſc. templum illud a Iudaeo conſtructum iri, pro aſſumento Ioſephi reputantur. Altioris indaginis eſt, num per עיר ההרס a propheta indigitetur *Heliopolis* (nos enim hic non moramur opinionem interpretum, qui מיר הרס per *urbem deſtructionis* vertunt) ſive *Civitas Solis*, Ægypti celebris quondam urbs, quod fere plerique confitentur, et hic fidem nobis adiungunt, exceptis quibusdam a. Cl. VITRINGA *h. l. pag.* 571. nominatis et M. HILLERO *Onomaſt. S. p.* 665. Vid. *Clar.* LAKEMACHERVS *in Obſervatt. Philolog.* P. VII. p. 47. de cuius conſenſu nobis gratulamur; adde *Andr.* MVLLERVM, *virum* πολυγλωττοτατον in *Gloſſario* S. p. 32. Dum enim IOSEPHVS *l. c.* dicit: Και πολλα δε προεφητευσε αλλα τοιαυτα, δια τον τοπον; *Et multa alia vaticinatus, quae ad locum attinent*; quidam ſunt, qui eum ad prophetiae huius verba מיר ההרס reſpexiſſe autumant, ac ſi ipſum loci *Heliopolis* digito quaſi indicaſſet nomen, cum aedes illa ſacra in nomo Heliopolitano fuerit erecta, plerosque enim interpretum antiquiſſ. et recentiorum vocem הרס pro affini חרס (*Sol.* ut *Iob.* 9. 7.) ſumſiſſe, nemo, qui a limine tantum hanc hiſtoriam ſalutavit, inficias ibit, ſeu quod antiquitus in codicibus manuſcriptis ההרס legerint pro ההרס; ſeu quod affinitatem literarum ה et ח confuderint. Certum vero ex IOSEPHO eſt, Oniam ſi non directe, tamen oblique ad huius prophetiae verba attendiſſe, et exinde maxime plagam hanc elegiſſe. SYMMACHVS verba haec tranſtulit πολις ἡλιȣ. HIERONYMVS, VULGATVS et alii *Civitas Solis*. LXX. lepide πολις ασεδεκ, *urbs aſedeck*. AQVILA et THEODOT. πολις Αρες, *civitas*

vitas Ares, i. e. הרס; et hinc incaute EVSEBIVS haec vertit πολις της γης, quaſi vox Αρες τω ארץ originem, non חרס debeat. ARABS vero עיר ההרס reddidit عين الشمس *Ain Alſchemes*, vel *Fontem Solis*, quoniam fontes in oriente rariſſimi et inde maximo in pretio erant, et ab iisdem plurimae res in Eois plagis nomen ſunt ſortitae; vel quod etiam hic vocem hanc interpretemur per *Vrbem Solis*, quoniam et urbs haec in ſacris בית שמש, ut *Ierem. XLIII.* 13. dicitur. Vocem enim عين, עין, notione τȣ *plagae, tractus, regionis, loci* (*) aliquando pollere, deprehendimus apud CASTELLVM et GOLIVM, viros laude mea maiores, in *Lexicis h. v.* Et id non ſolum quam clariſſime patet ex verbis RASCHII in *Ezech. XXX.* ubi dicit: און מדינת מצרים נקרא בלע"ז בית שמש או עין שמש *On civitas Ægypti dicitur in lingua barbara Betſchemes*, vel AINSCHEMES; et ex SCALA MAGNA, ſeu *nomenclatore Ægyptio-Arabico*, a Cel. KIRCHERO edito in *Lingua Ægypt. Reſtituta p.* 209 ubi *Heliopolis* ſimpliciter dicitur عين شمس, *Ainſchemes*, ſed et plenius *p.* 242. مدينة الشمس يعني عين شمش *Civitas ſolis ſignificat* (vel dicitur *Ainſchemus*) *Vrbem Solis*; male *Kircherus* tranſtulit *Oculum Solis*. Erronee hic idem nomenclator vocem Arabicam *Ainſchemes* reddit lingua Coptica ⲁⲥⲉⲇⲉⲕ, verſionem των ο ſecutus. Sed et certiſſima notionis huius indicia nobis etiam mater omnium linguarum Hebraea reſervavit, in denominatione multarum urbium. Sic, urbis, vel vici עין *Ain* mentio *Numer.* 34. 11. et *Ioſ.* 19. 7. quae καθ ἐξοχην *urbs* dicta, (ut *Roma* et *Conſtantinopolis*, quae hodœporicis *Stamboul*, vel *Iſtamboul* dicitur, ex veterum Graecorum ad quaeſtionem, quo irent? reſponſione, εις την πολιν. Vid. Doct. HERBELOTVS in *Biblioth. Orient. pag.* 275. MORINVS de *lingua prim. pag.* 443. et Cl. MAIVS in *Specim. Ling. Punicae pag.* 3.) עין שמש, *Vrbs*

(*) Confer, quae circa vocem עין, *Ain*, pluribus monuimus in *Diſquiſ. crit. phil. de Voc. Phoenicio Kartha.* §. 2.

Solis in tribu Iudae. *Ioſ.* 18. 17. עין גדי, *Engeddi Locus*, male *fons*, ob vineas aliasque hortorum amœnitates et delicias celebris. Nec a vero forſan aberrarim, ſi obſcurum illud Talmudicorum עין סוכר, *En Sochar*, exponam *urbem*, non *fontem Sochar*, quae alias nomine *Sichor Ioh.* 4. 5. et *Sichem* inſignitur, metropolis Samaritanorum, ad radices montis Gerizim ſita: Vid. Cl. RELANDVS *in Palaeſtina pag.* 1008. et *Idem T.* 1. *diſſert. Miſcell. pag.* 141. *&c.* Quae urbs glorioſa, et *in frumento fructifera*, *vino et oleo* dicitur ab *Anonymo* in *Expoſitione totius mundi. T.* 3. *Geograph. min.* Cel. HVDSONIS. *p.* 6. Ex hoc enim עין סוכר, *Ainſochar*, Iudaei triticum ad oblationem duorum panum Pentecoſtalium adducere ſoliti, ſi frumentum illud ad maturitatem in locis, Hieroſolymis vicinis, nondum perveniſſet; ut oſtendit LIGTHFOOTVS in *diſquiſ. Chorogr. Iohanni praemiſſa cap.* 4. §. 4. *et* 5. *Opp. T.* 2 *pag* 586. et amiciſſ. HACKMANNVS *in diſſ.* 1. de *Panibus Pentecoſt*: ſub praeſidio Cel. IKENII *Bremae edita pag.* 18. Hinc in errorem incidit MORINVS dum pro عين شمس, *Ainſchemes*, verſionis Arabis legendum ſuſpicatus eſt عير شمس, *Irſchemes*, *levi τȢ* ن *in* ر *mutatione*, ob incommodam ſibi viſam notionem *fontis* in Ainſchemes; *de Lingua Primaeva pag.* 93. Pollicem enim hic premit univerſalis orientalium ſcriptorum conſenſus in aequali denominatione *Ain ſchemes*. Sic ABVLFEDA Iſmael, princeps Hamae in Syria, geographus praeſtantiſſimus: عين الشمس في زماننا رسم وليس بها ديار ويقال انها كانت مدينة فرعون ۞ *Ain Schemes*, *noſtris temporibus deſtructa*, *habitatione caret; dicitur autem quod fuerit olim civitas Pharaonis.* GEOGRAPHVS NVBIENSIS *P.* 3. *clim.* 3. *et* AVICENNA L. 2. c. 8. dicunt عين شمس, *Ainſchemes*. CALENDARIVM *MSS. Feſtorum* &c. *Arabicum* mentionem facit Iſidori, martyris, in Heliopoli: يسيدرس السعيد بعين شمس *Iſidorus, martyr, in Ain Schemes*; apud SELDENVM *de Synedriis*

pag.

pag. 1338. Conſentiunt denique R. BENIAMIN, *Tudelenſis, in Itinerario pag.* 120. משם חצי יום לעיזקאל לעין אלשמס היא רעמסס והיא חרבה ושם מהבנין שבנו אבותינו ע״ה ושם כמו מגדלי בניין מלבני *Hinc dimidio die perveni Iskaal*, LE AIN ALSCHEMES, *quae et Raemſes, iam devaſtata, ubi ſtructurae, quam ſtruxerunt beati patres noſtri, extant reliquiae, et veluti turres, ex lateribus ſtructae: vid. ad h. l. Conſt.* L' EMPEREVR *in nott. pag.* 224. et ELMACINVS *Ibn. Abul Iaſeri in MSSto incedito* apud Cl. HOTTINGERVM *Smegmat. Orient. L.* 1. *p.* 371. ubi de itinere patriarchae Iacobi cum omni familia ſua in Ægyptum agit: واعطاهم فرعون ارض رعمسيس وهو عين شمس *Et tradidit ipſis Pharao terram Raemſes, quae et* AIN SCHEMES. Praeter citatos confer. Cl. HERBELOT *in Biblioth. Orient. v. h. pag.* 79. gallico idiomate *Pariſ.* 1697. fol. edita Cel. GOLIVS in *nott. eruditiſſ. ad Alfergani Elementa Aſtron. p* 157. GEOGRAPHIA NVBIENSIS e verſ. *Gabr. Sionitae. pag.* 98. 99. *Cel. Le* MOYNE *diſſ. de Iehova Iuſtitia noſt. ad Ierem.* 23. *pag.* 185. et SELDENVS *de Synedriis L.* 3. *c.* 15. *p.* 1339. *edit. Francoſ.* Luculenter ſatis evictum iam arbitror *Ain Schemes* eſſe *Heliopolin*, Ægypti urbem celeberrimam, illamque per עיר הרס, *Ir Heres*, in prophetia Ieſaiae eſſe deſignatam. Nullam enim *video rationem*, inquit, CL. VITRINGA *h. l. p.* 572. *cur ab Heliopoli hic diſcederem. Sed nomen, objici poſſet; ſcribitur* הרס, *non* חרס. *Reſp. videri poſſe antiquitus ſcriptum fuiſſe* חרס, *aut, ſi omnino fuerit ſcriptum* הרס, *literam* ה *ſumi hic pro* ח, *quod affinis ſint ſoni.* Plura de hoc loco vid. apud FORERIVM et DRVSIVM in *Bibl Crit. ad h. l.* Cl. POLVM *in Crit. S. h. l. Theoph. Amelium*, ſive Cel. ZORNIVM *in Explicatt. V. T. T.* 2. *p.* 205. et BVDDEVM *Hiſt. Eccleſ. V. T. T.* 2. *pag.* 1219.

§ II.

Circa implementum huius loci Eſaiani eruditi mire variant, quorum ſententias recenſere omnes, cum temporis, quibus circumſcripti ſumus, limites, tum chartae anguſtia,

 non,

non permittunt; tum etiam Cl. VITRINGÆ diligentia h. l. nobis otia fecit, cui adde *Corn.* ADAMI *Exercitt. Exeget. pag.* 101. Aliquas tamen tetigiſſe ſufficiet. Sic *autor* SEDER OLAM RABBA, ſive *Chronicon Hebr. maius pag.* 66. edit. *Cl. Meyeri*, refert ad tempora Hiskiae, cum Sennacherib, rex Aſſyriorum, devictos Ægyptios et Æthiopes ad expugnationem Hieroſol. ſecum duxiſſet, horrenda vero clade Sennacheribis exercitui, noctu ab angelo Domini inflicta, Hiskias divictos populos remiſit ſalvos, ut narrarent mirabilia Dei, eumque erectis aris colerent. לאחר מפלתו של סנחריב עמד חזקיה ופטר את האוכלוסין שבאו עמו בקולרין וקבלו עליהם מלכו׳ שמים לקיים מה שנאמר ביום ההוא יהיו חמש ערים מדברות שפת כנען וגו״ הלכו ובנו מזבח והיו מקריבין עליו עולות לשם שמים שנ׳ ביום ההוא יהיה מזבח לה׳ וגו״ *Poſt Sennacheribis caedem Hiskia ſurrexit et dimiſit omnem multitudinem, quam ſecum adduxerat collaribus, ſive colli vinculis constrictam, quae regnum caelorum ſponte ſuſcepit, ut impleretur alterum* (Ieſ. 19. 18.) *oraculum*: Illa die erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes ſermone Cananaeo *&c. Quin et profecti erexerunt altare et holocauſta ſuper eo Domino obtulerunt, ad implendum ſicut dictum* (*vſ.* 19.): Illa die erit altare Domino in medio Ægypti &c. Veſtigia huius chronici preſſerunt *R. Sal. Iſaacides*, ſive RASCHI, et KIMCHIVS *in h. l.* quam tamen Iudaeorum horum hypotheſin, ut precario aſſumptam, ita minime probabilem, quin fabuloſam, reiicit Cl. VITRINGA in omnigenae eruditionis promptuario, *Comment. in Ieſ. l. c. pag.* 578. *edit. Belg.* Eodem modo ABARBANELIS, GROTII et aliorum hypotheſes, ut fictitias, et emphaſi prophetiae non convenientes, vel illam plane evertentes confutavit idem Cl. VITRINGA *l. c.*

§. III.

Praecipue Cl. Abrincenſium epiſcopi, *P. Dan.* HVETII, notatu digna hic venit ſententia. Ille enim in exaſciato *Demonſtrat. Evang.* volumine *propoſ.* 6. *p.* 551. locum Ieſaiae in hoc tem-

templo impletum ſibi perſuaſit, nimium enim Ioſephi ingenio hic indulſit, qui hac de re una cum Onia et Iudaeis ibidem ſacra facientibus videntur fuiſſe perſuaſiſſimi: *Scio*, inquit HVETIVS, *nonnullos aliter ſenſiſſe, et haec ad Sennacheribis et Pſammetichi tempora retuliſſe; ſed et res ipſa, templum nempe Dei in media Ægypto, et locus ipſe, civitas ſolis, et rei autor tam perſpicue deſignantur, ut alio torqueri poſſe prophetia haud quaquam videatur. Cum praeſertim accedat Ioſephi autoritas, quem duobus locis affirmaturum id non fuiſſe puto, niſi communi inter Iudaeos opinione receptum ſciviſſet.* Et quamvis κατα σχημα, *iuxta figuram*, ad vocationem gentium locum hunc Ill. Vir referendum putet, tamen κατα λεξιν de templo hoc explicandum cenſet.

§. IV.

Mirandum equidem eſt, Deum, ſingulari quodam providentiae ſuae ductu luſuque, ad vaticinium hoc in Oniae templo olim exſtruendo alluſiſſe, cum interior prophetiae huius penſitatio plane excelſius quid videatur innuere, converſionem ſc. Ægyptiorum ad verum Deum, tempore N. T. Clariſſime enim ex prophetia hac elucet, Ægyptios ſe ad Deum converſuros, eumque culturos, non vero Iudaeos id facturos in Ægypto. Quin et Philometorem et Cleopatram de ſpirituali aliquo templo locum Ieſaiae intellexiſſe, non de corporali, patet ex *Epiſtola ad Oniam*, apud IOS. *L.* 13. *A. I. c.* 6. *Miramur*, ſcribit Ptolemaeus, *quomodo acceptum eſſe Deo templum, in impuro loco plenoque animalibus ſtatutum, poterit.* Plurimum enim hoc argumentum apud Ptolemaeum valuiſſe exinde elucet. Alibi tamen IOSEPHVS *L.* 7. *c.* 30. *de B. I.* Oniam Ptolemaeo propoſuiſſe, ait, fore, ut populus Iudaicus, facultate hac conceſſa, ei ſe adverſus Antiochum ſociarent; quod argumentum εμφατικοτερον Ptolemaeo fuiſſe, declarat ſaepius laudatus BVDDEVS *l. c. pag.* 1220. quoniam Ptolemaeus et Antiochus invicem gerebant bella.

§. V.

§. V.

Haec ſunt, B. L. quae praecipue de TEMPLO ONIÆ ediſſerenda mihi propoſueram. Ceterum, cum fideles N. T. aliud commonſtrant templum 1. *Cor. III. et VI.* 16. templum αχειροποιητον, *non manu factum, ſed quod aeternum eſt in cœlis*, nos, annulo in nares immiſſo, in Heliopolitano ulterius nos non patiamur circumduci templo, quin potius aureum illud ſolis iuſtitiae miremur iubar, et noſtrae oculos mentis in interiora ſanctuarii cœleſtis dirigamus adyta, cum Pſalte intonantes Pſ. LXXXIV. מה ידידות משכנותיך יהוה צבאות: *Quam amabilia ſunt habitacula tua* IEHOVA ZEBAOTH!

Tantum.

GVSTAV.

GVSTAVI PERINGERI

DISSERTATIO

DE

ZABIIS

IN ACADEMIA VPSALIENSI

PVBLICO EXAMINI SVBIECTA

RESPONDENTE

DANIEL. D. LVNDIO

SVDERM.

AD D. XXVII. Novembris CIↃ IↃ C XCI.

§. I.

Viguiſſe in oriente ſectas numero quamplurimas, ex unanimi ſcriptorum orientalium conſenſu manifeſtiſſimum eſt. Inter quas cum antiquitate, amplitudine ac frequenti auctorum commemoratione celebratiſſima feratur Zabiorum ſecta: digna ſane viſa eſt, cuius indagationi non nihil operae impenderetur ac inſumeretur. Quod, pro virili mea, praeſtituro, ſtatim in limine, occurrunt fluxae illorum opiniones removendae, qui omnia, de Zabiis memorata, non modo incerta eſſe, ſed et aliud quidvis potius, quam veram gentem exſtitiſſe ſtatuunt. Inter eos eſt IOH. TVRNERVS, Hoſpitalarius et Collegii Chriſti, apud Cantabrigienſes, ſocius, qui in libro ſuo, *Boaz and Ruth* inſcripto, p. 272. popularem ſuum, ROLPHIVM CVDWORTHUM, eiusque ſcriptum, *The True Notion of The Lords Supper*, graviter taxat, quod, cum SCALIGERO, adfirmaverit, Zabiorum caerimoniarum notitiam plurimum conferre ad explicandas cauſſas ac rationes legum ſtatutorumque, apud Moſen exſtantium, dicens, eum paria cum illis facere, qui in quaeſtionibus difficilibus et implicatis ad qualitates occultas, aut formas ſubſtantiales confugere ſolent, dum Zabios, et ipſos caecos duces, in ſubſidium adpellare non dubitet; unde et MAIMONIDEM, in reddenda edictorum, in lege propoſitorum, ratione a cauſſis ſecundae intentionis, ſaepiſſime a vero aberraſſe iudicat, et Zabios apud LVCIANVM περὶ ἀληθοῦς ἱϛορίας inquirendos putat. Sed, cum haec TVRNERI ſententia nullis ab eo ſit ſtabilita argumentis: nihil me movere po-

terit, quominus in propoſito pergere liceat, ac Zabios, quoad nomen, ortum, locum ac ritus, inveſtigare ac indagare.

§. II. In tradenda Zabiani nominis ratione ſcriptores valde diſſentiunt, adeo ut apud doctiſſ. EDVARD. POCOCKIVM in *notis ad ſpecimen Hiſtoriae Arabum* p. 138. quatuor de hac ipſa voce opiniones deprehendere liceat. Prima quidem Zabiis ipſis adſcribitur, qui, inſignem antiquitatis famam aucupaturi, filium Setho tribuunt nomine Sabium, a quo ſe Sabios dictos volunt. Cuius aſſerti cum in ſacris literis veſtigium ſane nullum ſit: id, tanquam alienum, removendum relegandumque exiſtimo. Secunda ſententia auctorem habet SHARESTANIVM, ſcriptorem inter Arabes non infimi ſubſellii, qui a *Tzaba*, quod *amare*, *propendere*, *deſiderare*, notat, derivatum hoc vult vocabulum, ſignificatione e lingua Syriaca deſumta; unde Zabios, cum nomine ſuo, in Arabiam migraſſe opinatur. Quae vocis originatio ſaepius quidem in auctoribus occurrit; hanc tamen vim ſibi hoc loco ſubiectam non habet, ut tanquam certiſſima amplectenda ſit. Tertia eſt BEIDAWII, commentatoris in Alcoranum minime ignobilis, qui vocem hanc ab Arabico, *Tzaba*, quod *a religione ad religionem tranſire* ſignificat, arceſſit, hanc addens rationem, *quod a veri dei cultu deſciverint. Vnde etiam Muhammedes, teſte Ebnol Athir, dictus eſt Sabius, quod religionem Koraiſhidarum Islamiſmo commutarit.* Sed haec nominis Zabiani ratio cum valde generalis ſit, quippe quae omnibus idololatris communis: vereor, ut adplauſum ullius mereatur. Quartae demum opinionis auctor eſt ipſe POCOCKIVS, qui, Zabios ab ipſo cultus obiecto nomen ſortitos fuiſſe autumat, propinquam ſatis originationem duci poſſe adfirmans ab Hebraico צבא, quod *exercitum* notat. Vnde Zabios, quaſi צבא השמים, *exercitus caeleſtis*, cultores, dictos vult. Verum, neque haec ratio eruditis, omni ex parte, ſe probare potuit. Eam namque convellere ſtuduit Doct. SPENCERVS in opere ſuo de *Legibus Hebraeorum ritualibus* pag. 238. dicens:

cens: *Cultum corporum caeleſtium Zabiis cum aliis omnibus idololatris antiquis communem eſſe; nec probabile videri, eos ſolos ab exercitus caeleſtis cultu nomen accepiſſe.* HOTTINGERVS autem, ne heic plane ἀσύμβολος videretur, conſtanter adfirmat: *Sabaeos eſſe poſteros Sabae, filii Chuſi, Chami nepotis, Arabiae felicis incolas;* quod autem Arabes aliter de hac voce ſenſerint, Sabaeos per צ ſcribentes, id vero ex Muhammedis ignorantia proveniſſe ſtatuit. Verum enim vero, ut ut in nominum propriorum expreſſione plurimum ſibi libertatis ſumſerit Muhammedes: vix tamen veroſimile videtur, huius vocabuli, per צ, ſcripturam ex ignorantia aliqua irrepſiſſe; praeſertim, cum non potuerit non notiſſima eſſe, utpote genti numeroſiſſimae communis; ſed et toties in Alcorano occurrat legenda, quem, ob ſummam ſtyli elegantiam ac adcurationem, omnes commendant Arabes, adeo ut Clar. D. ERPENIVS, in *notis ad hiſtoriam Ioſephi* K. IV. dixerit: *Legem Muhammedis tanta ſermonis puritate, tam adcurata analogia et ſcripturae perfectione expreſſam eſſe, ut merito iis norma grammaticae conſtituatur.* Quid? quod et MAIMONIDES ſcriptionem nominis Zabiani, per צ, in Alcorano uſitatam, adprobet ac firmet, dum in libro מורה נבוכים, i. e. *Doctor perplexorum*, ſectae Zabianae, per צ, conſtanter ſcriptae, perfrequentem iniicit mentionem. Retenta itaque hac vocis ſcriptura, originationem Zabiorum, cum acutiſſimo SCALIGERO *in Epiſt.* l. I. ep 62. p. 178. et HVETIO in *Demonſtr. Evang.* Prop. IV. cap. IV. longe veroſimiliorem multi arceſſunt ex Arabico צבין, *ventum Apelioten* deſignante. Vnde צביים, i. e. *Orientales*, dicti. Cui adſertioni in tantum adhaerendum cenſeo, ut neque improbanda veniat magni illius POCOCKII coniectura, qui vult Zabios hoc nomine in vulgus notos fuiſſe, quod exercitus caeleſtes, h. e. aſtra maiora ac minora, vice numinum, coluerint.

§. III. Quibus de Zabiorum nomine praemiſſis, non id mihi negotii ſumere propoſitum eſt, ut de Saba, regione, eius-

que incolis agam. Hanc quippe vel ea de re notam nobis reddunt ſacrae literae, quod ex ea exiverit regina Sabaea, auditum et viſum ſapientiam Salomonis, frequenti ſuorum comitatu ſtipata. Situm huius Sabae nonnulli antiquorum ſtatuebant in Æthiopia, alii in Arabia; quorum tamen diverſas inter ſe ſententias feliciter conciliat primus linguae Æthiopicae in Europa ſtator, vir illuſtris, IOBVS LVDOLFVS, *in Hiſt. Æthiopica* lib. II. c. 3. docetque veterum Æthiopiam in Arabiam usque porrigi, duplicemque fuiſſe, Aſiaticam et Africanam, ſive orientalem et occidentalem; Arabiam autem veterum non tam late patuiſſe ac nobis hodie. Reginam Belkis nomine adpellatam docent ſcriptores, eiusque filium, Menelechum, omnium Æthiopiae regum ſtirpem ac parentem conſtituunt. Ex hac Sabaeorum, ſive Homeritarum, gente coloniam factos eſſe Habeſſinos, orbi noſtro ſub hoc nomine notos, nonnullis creditum. Cuius eccleſiae ſacrorum dogmata cum hactenus, ob infrequens terra marique commercium, non minus ac Zabiorum antiquorum in incerto fuerint: effectum tamen eſt, ut confeſſione Claudii, Æthiopiae regis, qui circa annum 1540. regnavit, in orbem noſtrum delata publicique iuris facta, de fide eorum iudicare liceat; religionis nimirum Chriſtianae cultores eſſe, nec omnino Iudaicae ſuperſtitioni addictos.

§. IV. Nomine Zabiano Chaldaeos, idololatras et paganos, inprimis denotari, nos docent IAC. GOLIVS *in Lexico Arabico*, et FRANC. MENINSKY *in Theſaur. Orient.* ex quo poſteriori auctore in originibus nominum multa mutuari ſolent alii, ſuppreſſo eius nomine. Huic expoſitioni fulcrum ſatis validum addit illuſtris dynaſtiarum ſcriptor, GREGORIVS ABVLFARAGIVS, qui, dum inſignis iſtius mathematici, THABET BEN CORRAH, mentionem inieciſſet, mox de Zabiiſmo hanc profert ſententiam p. 281. ואלדי תחקקנא מן מדהב אלצאבית אן דעותהם הי דעות אלכלדאניין אלקדמא בעינהא i. e. vertente POCOCKIO: *Illud autem, quod apud nos con-*

conſtat de ſecta Zabiorum, eſt, profeſſionem eorum eandem prorſus eſſe cum Chaldaeorum antiquorum profeſſione. Quod ſi et Abrahamum Zabiorum innutritum ſacris dicamus, cum MAIMONIDE *in Moreh Nevoch.* lib. III. c. 29. et CVNAEO *de rep. Hebr.* p. 205. non adeo differet Zabiiſmus a Chaldaiſmo, ut idem diverſis nominibus ſignificetur ac notetur. Imo vero SALMASIVS *in praefat. diatr. de annis Climact.* putat, Zabios fuiſſe Chaldaeos, Meſopotamiam inhabitantes. Quae cum ita ſint, Balaamum, famoſiſſimum illum in oriente magum, etiam fuiſſe Zabium, patriamque eius Meſopotamiam, vero haud abſimile videtur. Vnde Num. XXII. 5. Pethor, Balaami urbs, ad flumen ſita dicitur, id eſt, exponente paraphraſte Chaldaeo, פתר ארם דמל פרת, *Pethor Syriae, quae eſt ad Euphratem.* Balaamum autem inſignem fuiſſe magum et exorciſtam, hiſtoria ſacra evidenter docet. Nec obſcure id indicat IOH. DIODATI *in notis ad Matth.* cap. II. VI. *Magi nome di profeſſione, di certi huomini Filoſophi o d' Aſtrologi, di Perſia, o d' Arabia, o d' alcuna contrada orientale alla Iudaea.* Itaque coniectura probabili ductus eximius ille, apud Anglos, theologus, EDVARD. STILLINGFLEET, in erudito opere, quod *Origines Sacras* inſcripſit, in hunc ſentum loquitur lib. I. c. 3. p 44. a. ut locum, a Cl. Praeſide mihi indicatum, adducam: *Valde probabiliter adſeritur, ritus Zabiorum (quorum ope rationes reddere valemus legum aliquot particularium poſitivarumque, quae in Moſaicis praeceptis de idololatria exſtant) eosdem plane eſſe cum Chaldaeorum et Perſarum, ut pote qui et ipſi cultui ſolis et ignis addicti erant. Quod et maiorem accipit probationis vim ex adſertis illis apud Maimonidem, videl. quod gens Zabia erat gens, quae implevit totum orbem. Quae cum ita ſint, obſcura minime haec fuit natio, ſed quae latiſſime, per orientales plagas, diffuſa erat, nec omnino alia eſſe potuit, niſi antiquorum Chaldaeorum, ex quibus Perſae religioſum cultus modum mutuati ſunt.* Latius autem multo hoc Zabiorum nomen SPENCERVS extendit, adeo ut ſub eo comprehenſos velit non Chaldaeos tantum, ſed et Ægyptios, Nabataeos, Charanaeos et Syros, aliosque Chaldaeorum do-

dogmatibus ac ritibus addictos. Nec primus fuit SPENCERVS, qui tam latis ſectam Zabianam gaudere pomoeriis ſtatuit. Facem ſane ei praetulit Clar. HOTTINGERVS, qui in *Theſaur. Philol.* p. 56. ex MAIMONIDE adfirmat, *Sabaeos, Chaldaeos, Nabataeos et Charanaeos*, quoad ritus, caerimonias ac reliqua ſuperſtitionis dogmata, ſcriptoribus Arabicis eſſe eosdem. Videatur et citatus autor in *Hiſt. Or.* p. 247. Certe, ex MAIMONIDIS adſertione, conſtat שהצאבה היא אומה שמלאה כל הארץ *Zabios fuiſſe gentem latiſſime per orbem diffuſam.* Quae tamen adſertio, cum plus iuſto liberalis ſit, cum cautione aliqua intelligenda eſſe videtur.

§. V. Ortum ſectae Zabianae peculiari adſcribere auctori, ſicuti in noſtris non eſt poſitum viribus, ita brevibus de hoc dixiſſe ſuffecerit. Citatur autem IOH. SELDENO in *de Iure N. et Gent.* p. 270. Saidus Batricides, conſtituens auctorem ſectae huius Perſam quendam nomine Zaradshath, ſive Zoroaſtrem, qui religionem primus publicavit, regnante tum in Perſide Tecmuratho. Qui idem auctor alias habet ſententias, quibus e Graecia petitur diſciplina Zabiorum; vel denique alii profectam hanc ſectam volunt ex iis, qui turrim ſtruxerunt Babelicam. Vid. HOTTINGERI *Theſ. Philol.* pag. 55. et 56. Verum, ipſimet Zabiiſmi profeſſores, paulo maiorem antiquitatis laudem ſibi acquiſituri, non ab aliquo, qui Nachori, ut GEORGIVS EBNOL AMIDI, σύγχρονος, non a Noa, ut ALFIRAVZABADIVS, ſed ab ipſo Setho, Adami filio, cui, praeter Enoshum, alium adſignant filium, nomine Sabium, ortum ſectae ſuae derivant, et ab Enocho, qui illis Edris, a ſumma doctrina, adpellatur, propagatam ſtatuunt; uti mentem eorum refert POCOCKIVS in *notis ad Specimen Hiſtoriae Arabum* pag. 138. Quicquid vero ſit de primo ſectae huius auctore, initia eius ad prima fere eccleſiae tempora non incommode referri poſſe videntur. IOBVS quippe cap. XXXI. 26. 27. haud obſcuris innuit verbis, ſibi non ſubrepſiſſe futilem illam opinionem, ut ſolem,

aut

aut lunam, duo illa luminaria magna, ſummos deos rerumque omnium arbitros crediderit; quod ipſum etiam innuere videtur Chaldaeus in paraphraſi ſua. Quin et MOSES profanum hunc ſiderum cultum ſevere interdictum vult; Deut. XI. 16. Quod autem ſolem praecipue et lunam in numero deorum venerarentur Zabii, id ex auditione, a maioribus, patriarchis praeſertim, hauſtum de ſolis et lunae dominio peculiari in ſtata dierum ac noctium tempora. Huius quippe dominii famam inter gentiles, in orientalibus praecipue partibus, dum divinorum oraculorum verba aucuparentur, nihil morantes illam, quae ſubeſt, ſententiam, occaſionem dediſſe pravae interpretationi, honoresque divinos ſideribus tribuendi, perveroſimile videtur. De quibus ita illuſtris SCALIGER in *Elencho Trihaereſi* pag. 370. *Caelicolarum Iudaeorum vetus videtur origo, quamvis nihil de ipſis, niſi ex coniectura, adferre poſſumus: quorum ſecta ex eo ſine dubio profecta, quod per* השמים, *id eſt, caelum, etiam Deum veteres Iudaei intelligebant. Vnde illud Matth. XXI. 25. Baptiſmus Iohannis unde erat? ex caelo, an ex hominibus?* Hinc ſol nominibus מלך, אל, שמים, בעל, עליון, quibus verus Iſraelis Deus in ſcripturis ſignatur, adpellatus eſt; in quarum aliarumque vocum ratione reddenda inſignem collocaſſe operam cenſetur celebratiſſimus ille rerum Phoeniciarum ſcriptor, SANCHONIATHON.

§. VI. Ex dictis itaque patet, Zabiiſmum Abrahami, patriarchae, aetatem antevertiſſe, et cultum corporum caeleſtium valde antiquum eſſe. Et ſane temporibus illis primis diffuſa per orbem erat iſta perſuaſio, ut ſol pro deo haberetur ac coleretur. Vnde rationibus ducti videntur Hebraeorum magiſtri, dum in *tractatu illo Talmudico Ioma*, qui eſt de *ſolemni expiationum die*, tradunt, a patriarcha, Abrahamo, locum cultui divino conſtitutum ad occidentem ſolem; qui locus erat auguſtiſſimi templi pars ſanctior. Videlicet credere par eſt, univerſos homines venerabundos ſolem orientem

ſpectaſſe; e contrario, patriarcham in monte Moriah, tanquam divinae maieſtatis vindicem cultusque divini reſtauratorem, Deum, rerum omnium dominum, adoraſſe ad occidentem ſolem, ſic, ut tergum in orientem verteret. Hinc etiam ſine dubio factum, quod ſordidiſſima quaeque opera ad orientem ſolem peragerentur, honeſtiſſima in templo ad occidentem, ne quis ſolem pro Deo coli in animum induceret. Iſtius rei vel hinc etiam cauſſa adparet, quod piaculo indigentes, cum luſtrarentur, ſtarent contra portam Nicanoris, orienti ſoli reſpondentem, occidentem verſus ſpectantes: ubi etiam mulieres, in adulterii ſuſpicionem vocatae, aqua amara potabantur; leproſi item hominis hoſtia pro delicto cum oleo ſuo ſimul agitabatur.

§. VII. Ceterum, quod ad ipſum Zabiorum nomen attinet, fatendum eſt, hoc quidem non usque adeo antiquum eſſe, praeſertim ſi conferatur cum ipſorum Zabiorum dogmatum initio. Etenim, id ipſum recentius eſſe multo, nec aetatem Muhammedis antevertere, argumentis, εἰκολογίᾳ non exigua ſuffultis, demonſtrat SPENCERVS in luculento opere de *Legibus Hebraeorum ritualibus* pag. 241. ubi haec CASAVBONI verba ex *Epiſt.* 223. adducit: *Invenio apud Rambam multam mentionem cuiusdam populi, cuius alibi mentionem non legi: Zabios, vel Zabaeos vocat.* Hinc et ipſe adſerere ſuſtinet, Zabiorum nomen in nullo, paulo quidem antiquiore, Graeco, vel Romano ſcriptore inveniri. Muhammedem itaque nominis huius auctorem inventoremque, qui et Zabiorum in Alcorano ſuo non infrequentem facit mentionem, conſtituit, hac praecipue coniectura nixus, quod, ſicuti Syri, Perſae, Chaldaei, Arabes aliique, ſuperſtitionis nomine noti, phraſi, ſcripturae familiari, dicantur בני קדם, *filii orientis, ſive orientales*, uti Ieſ. XI. 14. Ier. XLIX. 28: ita etiam Muhammedes, ex conſuetudine Iudaeorum, qui per קדמונים et בני קדם deſignare volebant homines, eiusmodi ſuperſtitioni

ac

ac magiae addictos, eosdem vocabulo Arabico צביים *ἰσοδυναμοῦντι* expreſſerit ac ſignarit. Quid? quod et optimo iure nomen hoc iis impoſitum videatur, ſi ſitum regionis Chaldaeae ſpectes; eſt enim haec Arabiae, ad orientem, confinis. Nihil vero ſententiae huic obeſt, quod ſecta haec tam late diffuſa dicatur, ut non tantum magnam orientis, ſed et mundi partem olim occuparit; unde a ſitu argumentari ineptum videri poſſet. Quippe ſciendum eſt, Zabiorum religionem, primo e Chaldaea profectam, eandem fuiſſe cum veterum Chaldaeorum profeſſione, nomine tenus diſtinctam, ut ſaepiſſime in ſectis fieri videmus, quarum de una eademque re diverſi exiſtunt conceptus: unde mirum non eſt, eam nomen, originis ratione, ſibi impoſitum, quaqua vorſum propagata ac amplificata ſit, retinuiſſe. Neque enim inſuetum prorſus eſt, ut, qui aſtrologicam, aut Chaldaicam prae ſe fert ſapientiam, Chaldaeus, ubicunque terrarum vixerit, adpelletur.

§. VIII. Ad religionis ſuae antiquitatem pariter ac veritatem ſtabiliendam libros Zabiiſmi profeſſores venditant, glorioſa patriarcharum nomina praeferentes, Adami utpote, Sethi et Enochi &c. Et in libro quidem, ſub titulo Sethi, narrant: *Multa de morum honeſtate, de virtutis exercitio et vitiorum fuga exſtare*; uti ex ABVLFEDA Cl. POCOCKIVS oſtendit. Sed, ut ut pulcra ac ſpecioſa videantur, quae in his libris, hisce patriarcharum nominibus nobilitatis, traduntur, plurima tamen, fabulis figmentisque vaniſſimis commixta, in iisdem contineri, credere fas eſt; quales fere antiquiſſimae profanae hiſtoriae eſſe ſolent: neque ſine cauſſa viri eruditi exiſtimarunt, tractatus eiusdem modi, circa exſpirantis Iudaiſmi tempora, a Iudaeis conſarcinatos, prodiiſſe. Porro et alii venditantur, ut: ספר האסטמכוס (האסמכאס המיוחם לאריסטו. ספר הטלסמאות (MS. Cl. Praeſidis legit וספר המיוחם להרמס וספר יצחק הצאבי בטען בעבורת הצאבה

Liber Haiſtamchus, *qui Ariſtoteli tribuitur*, *liber Hattilſemaoth* (*i. e. de imaginibus loquentibus*) *liber quidam*, *Hermeti attributus*, *et liber Iſaaci Zabii*, *in quo diſputat de cultu Zabiorum.* Quae ſpecioſa titulorum adpoſitio commendabiliorem non reddit foetum, ſed potius ob hanc ipſam ſuſpectum. Celeberrimus vero omnium recenſetur ספר העבודה הנבטית cuius titulum, praeter diverſas alias interpretationes, a veteri quodam interprete per *agriculturam Ægyptiorum* redditum eſſe memorat Cl. BVXTORFIVS, filius, in *notis ad verſionem libri Coſri* p. 27. quem tamen HOTTINGERVS, *in Theſ. Philol.* p. 55. *et in Biblioth. Orient* p. 103. *per religionem*, *ſive cultum Nabataeorum*, ſ. *Chaldaeorum* rectius omnino vertiſſe videtur, adeo ut, tradente SELDENO in *de Iure N. et Gent.* p. 208. de Nabataeorum, gentis, Arabiae et Iudaeae vicinae, cultu ritibusque, ſecundum Zabiorum diſciplinam, congeſtis, intelligatur. Et vero autor MAIMONIDES cap. XXIX. lib. III. in verbis contextus proxime praecedentibus, promittit, ſe recenſiturum libros illos, unde de opionibus ac fide Zabiorum conſtare poſſit; inſuperque argumenta librorum, quae ab illo adducuntur, clariſſime evincunt, in explicandis eorum, qui orientem maxime occuparunt, omnimodis ſacris praecipue occupatos fuiſſe auctores Zabios. Ita namque laudatus auctor: ואומר שהרבה מן התורות התבאר לי ענינם והודיעני סבתם עמדי על אמונת הצאבה ומעשיהם ועבודתם כמו שתשמע בשאבאר עלת המצות ההם אשר יחשב בהן שאין סבה להן ואני אזכר (אזכיר MS.) לך ספורים (הספרים MS.) אשר יתבאר לך מהם כל מה שידעתיו אני מאמונת הצאבה (MS. legit in plur.). *Enim vero, adfirmare ſuſtineo, multa legis divinae, quoad ſenſum et cauſſas, mihi innotuiſſe ex fide Zabiorum, illorum operibus ac divino cultu, prout id ipſum percipies, quando illorum praeceptorum cauſſas explicavero, quibus nullam ſubeſſe rationem exiſtimare quis poſſet. Ego proinde ordine tibi recenſebo libros illos, unde tibi perſpicuum reddetur, omne illud, quod de religione Zabiorum a me traditum eſt.*

§. IX.

§. IX. Vetuſtiſſimorum orientis dum plures recenſuiſſet tractatus MAIMONIDES, mox ſubiicit: ואין ספק שהם חלק קטן מאד ממה שלא נעתקו (MS. נעתק) ולא נמצא גם כן (omiſſo in MS.) אך אבד ברוב השנים ואלו אשר הם נמצאים אצלינו היום יכללו רוב דעות הצאבה ומעשיהם המפורסם (MS. המפורסמים) בעולם (tranſpoſita in MS.) לצתם היום) *Nullum eſt dubium, hos iam recenſitos libros minimam partem conficere eorum, qui vel non translati ſunt* (in linguam Arabicam) *vel non amplius reperiuntur, ſed deperditi ſunt longitudine temporis. Illi autem, qui hodienum exſtant, plurimum doctrinae Zabiorum continent, rituumque ac caerimoniarum ipſis peculiarium, quorum nonnulla per orbem nota ſunt.* Neque vero mirum cuiquam videri debet, tam exiguum ſcriptorum Zabianorum hodie reperiri numerum; cum nec mitiora fata fuerint ſcriptorum orbi noſtro propinquiorum. Ipſe namque MAIMONIDES, vir acri iudicio ac ſolida philoſophiae cognitione praeditus, qui ſcriptis ſuis tam apud Iudaeos, quam Chriſtianos immortalem ſibi peperit gloriam, complura dicitur literis conſignaſſe, quae tamen ad orbem noſtrum non pervenerunt; ut ut in operibus eius conquirendis legendisque pervigiles lucubrare ſoleant illi, qui deciſiones ac placita magiſtrorum de dubiis, circa res divinas et humanas, ſcire cupiunt. Ita quippe de eius, quos ſuper tres Gemarae partes, ipſo in praefatione Miſchnae teſte, ſcripſerat commentariis, auctor percelebris libri *Schalſcheleth Hakkabbala* p. 43. a. לא נתפשטו בארץ ארום אמנם ראינו מהם ב או ג מסכתות ובלשן ערב כתבם i. e. *non reperiuntur* (hi commentarii) *in regionibus Chriſtianorum; contigit tamen mihi videre de iis duos, aut tres tractatus, lingua Arabica conſcriptos.* Neque vero hic tacendum videtur de viris aliis, eruditione praeſtantibus, ſtudio inprimis Aſtronomico valde celebratis, Thabete et Albattanio, qui huius ſectae adfines fuiſſe ab HVETIO in *demonſt. Evang.* cap. IV. prop. IV. memorantur. Thabeten praeterquam, quod multa in diſciplinis mathematicis, medicina

cina et logica, ſcripſerit, etiam non paucos de Zabiorum cultu ac ritibus libros lingua Syriaca confeciſſe, ante laudatus dynaſtarum ſcriptor, GREGORIVS ABVLFARAIIVS pag. 184. memoriae prodit.

§. X. Vt autem a librorum ad dogmatum ac rituum conſiderationem progrediamur, ſciendum eſt, Zabios e ceteris ſuis libros biblicos eliminaſſe, eoque ipſo typum exhibuiſſe fanaticorum ac impoſtorum; falſos vero, ſub patriarcharum nominibus, libros iactaſſe, quibus pro futilium perſuaſionum fulcimentis uterentur De vi ac natura divina prave ſentientes docebant, שאין אלוה רק הכוכבים *nullum eſſe deum, praeter ſtellas.* Quae verba exponit MAIMONIDES ſic, ut Zabios adſerat habuiſſe planetas pro divinis, hoc eſt, ut SCHARESTANIVS innuit, diis minorum gentium; ſolem vero deum magnum vocitaſſe, qui mundum ſuperiorem et inferiorem regeret. His etiam, quo glorioſior ſplendidiorque redderetur cultus, ſacella varia, diverſarum figurarum, exſtruere viſum eſt, imaginibus aureis argenteisque exornata: quarum conſtruendarum excolendarumque primus auctor idem, qui et ordinis apud Ægyptios ſacerdotalis inſtitutor, traditur, BARDESIR, filius Cophtarim, Chami abnepos, uti quoque Arabibus creditum eſt; fidem nobis faciente MVRTADI, filio Gaphiphe, in libello amoenitatis pleniſſimo de *Mirabilibus Ægypti,* quem ex Arabico in Gallicum idioma tranſtulit PET. VATTIERVS.

§. XI. Imagines has convenientiſſime Arabibus טלסמ תאו vocare placuit: ſub quo titulo etiam librum circumferri traditur, qui ARISTOTELI tribuitur. Conficiebantur vero Tilſemae nonniſi ſub certo horoſcopo, ad certos edendos effectus; unde et, praeter alia, adſcribuntur illis occultarum rerum δηλώσεις, quasque futurorum avidi ſubinde ſciſcitabantur. Imo, imaginibus his adolebant honoresque divinos ex-

exhibebant; MAIMONIDES *in comm. ad Miſchnam Avoda Zara* cap. IV. §. 7. Ceterum, ſi, quae de Tilſemis memorant ſcriptores, diligenter quis expenderit, animadvertet, non procul diſcedere ab iis, quae de Teraphim commentari ſolent Hebraeorum magiſtri, adeo, ut HOTTINGERVS Zabiorum Tilſemas fuiſſe Hebraeorum Teraphim, per veroſimilem admodum coniecturam, adſerat; quod videlicet confectionem *τῶν* Teraphim non niſi certae cuidam horae attribuant, quin et futurorum revelationes ipſis adſignent adſcribantque. Vid. HOTTINGERVS in *Hiſt Orient.* p. 296. et ſqq. cui paria de Tilſemis, in notis ad GAFFARELLI *curioſitates inauditas* annotavit GREG. MICHAEL p. 257. Locum Tilſemis miri effectus, praecipue memorabilem, Haram urbem eſſe, ex ABVLFEDA prodit POCOCKIVS, quam quoque in geographia ſua Zabiorum nominat urbem, in qua XVII. aeditui, et collis, in quo *'ευκτήριον*, ipſis magno in honore habitum, conſpicitur. Pyramides, quas antiquorum ſectae ſuae auctorum monumenta credi voluerunt, non parum quoque ſuſpexiſſe ac veneratos fuiſſe, qui hodienum in Ægypto ſuperſunt antiquiſſimi Coptae, licet numero exigui, palam facere poſſunt, docentque illi, qui itinera ſua orientalia nobis deſcripſerunt.

§. XII. Porro, ſicuti late admodum ſe diffudiſſe religionem Zabianam ſuperius oſtenſum eſt: ita etiam per ingens temporis ſpatium viguiſſe non minus conſtat; cum late ſerpens malum difficulter admodum ſanari poſſit. Etenim Zabiiſmum CCCLXVI. a nato redemtore annis, ſat validas in oriente egiſſe radices, e SAIDI BATRICIDIS teſtimonio certum eſt, qui omnes urbis Nazianzenae incolas hoc infectos errore memorat, et GREGORIVM, Nazianzenum epiſcopum, veſana eorum dogmata publicis impugnaſſe ac confutaſſe ſermonibus. Sed et, ſaeculo poſt C. N. ſexto, Muhammedes, cum virus ſuum per orbem latiſſime fudiſſet, plu-

plurimos Zabiiſmi ſectatores invenit, quos et foederis ſocios fecit. Vid. HOTTINGERI *Hiſt. Orient.* p. 261. et LVDOV. de DIEV in *Animadv. in IV. Evang.* p. 506.

§. XIII. Quod vero hodienum in oriente ſectam, nomine Sabaitarum inſignitam, inveniri memorent ſcriptores itinerariorum recentiores, id ſicuti negandum non eſt, ita nec committendum puto, ut cum antiquiſſimis illis Zabiis, ſive Chaldaeis confundatur. Illi enim et Mandaitae vocantur, nomine plane obſcuro. Eſſe autem reliquias antiquorum Gnoſticorum, paſſim ex libris hodiernis, lingua Chaldaica, charactere, qui Eſtranghelo dicitur, conſcriptis, liquido viris eruditis probatum eſt. Vnde Mandai, ſive Mandechai idem, qui Manichaeus, alio nomine, vocatur. Imo vero Manichaeis favere, ex ſermone, quo utuntur, grandiloquo patet; eſtque apud illos Manes ſummo in honore. De quibus ſingulare plane refert RICH. SIMONIVS in *notis ad hiſtoriam ſuam criticam Vet. Teſt.* p. 47. quod ſoli inter orientis populos in lingua ipſis peculiari retineant vocales illas, quas matres lectionis adpellamus, easque ſingulas ſingulis conſonantibus adſcriptas habeant. Sedes ſuas Sabaitas hodiernos habere in Arabia, ad ſinum Perſicum, teſtatur I. M. VANSLEBIVS in *hiſtoria de eccleſia Alexandrina*, p. 98. vocarique vulgo Chriſtianos S. Iohannis Baptiſtae; quanquam nihil minus quam Chriſtiani ſint. Etenim Sabaitas hosce nec Chriſtianos eſſe, nec gentiles, nec Muhammedanos, nec Iudaeos, ſed quidquam ab his omnibus mixtum tenere, magis autem cum Iudaeis Talmudicis commune habere, adfirmat FR. ANGELVS A SANCTO IOSEPHO, *Carmel. diſcal. Tholoſanus*, in *praemiſſis ſuis ad Pharmacopoeam Perſicam* pag. 17. qui idem adſerit, linguam Sabaitis peculiarem eſſe, atque in hunc diem incognitam; quamquam re vera apud gentem, Tigris et Euphratis accolam, circa Baſſorae terras, in uſu ſit. Opuſculum inſuper ſe meditari ait, quod

quod inſtar clavis linguae huius incognitae foret, ſine quo enodatio librorum Sabaicorum ulla vix feliciter inſtitui poſſit; ceterum tria principalia legis Sabaicae volumina, Baſſora Conſtantinopolitana ſe miſſa, nunc apud regis Chriſtianiſſimi primarium miniſtrum, Ioh. Baptiſtam Colbertum, in florenti eius bibliotheca, proſtare, eſſeque, *primum volumen magnum in folio vocatur Sidra Adem*, i. e. *liber Adami*, *protoplaſtae: ſecundum*, *in quarto*, *Sidra Hiahia*, i. e. *liber Iohannis*, *baptiſtae: tertium parvum*, *in octavo*, *vocatum Coholaſteh*, *complementum*, *ſeu caerimoniale legis Sabaitarum*, *vulgo Chriſtianorum S. Iohannis.*

§. XIV. His igitur de notitia gentis Zabianae, pro ingenii modulo, ſtrictim tractatis, de utilitate ex eiusdem rituum indagatione, non immerito disquiritur. Quanquam vero praepotens ille legis autor, pro imperio, omnia de praeſcriptorum obſervatione propoſuerit edicta: par tamen et conveniens eſt, hominem, legis divinae ſtudioſum, horum intelligentias ita enodare, ut, quod eius fieri poſſit, cauſſas ac rationes indagare valeat. Vnde a priſcis Iudaeorum ſapientibus diſcrimen ſtatutum eſt inter חקות et משפטים, de quibus Lev. XVIII. 5. XIX. 37. Namque *iudicia* eſſe illa, quorum eſt aperta ratio, quorumque obſervationem patet etiam in hac vita utilem eſſe, qualia ſunt illa, de rapto, caede, pietate erga parentes: *praecepta* autem eſſe, quorum non eſt cognita ratio, qualia ſunt, quae ſanciuntur de veſtimentis heterogeneis, de carne et lacte, de vitula decollanda, de diverſis ſeminibus; quorum ſingulorum cauſſas, beneficio linguarum adfinium et rituum antiquorum et ſepultorum, viri docti indagere et eruere ſunt conati. Ego proinde diſſertatiunculam hanc magni illius MAIMONIDIS pronunciato obſigno, quod habetur in maiori eius opere *Iad Chaſaka*, *Hilchot Meilah*, ſive de *ſacrorum abuſu*, cap. VIII.

§. 8. ראוי לאדם להתבינן במשפטי התורה הקרושה ולירע סוף עניינם (MS. עניינה) כפי כחו ודבר שלא ימצא לו (MS. בו) טעם ולא ירע לו עליה אל יהי קל (MS. יקל) בעיניו ולא תהא (MS. ואל תהי) במחשבתו בו כמחשבתו בשאר דברי (MS. כרברי) החול; i. e. *Omnino par eſt hominem operam dare, ut legis ſanctae iudicia norit, ac finalem eorum cauſſam, pro captu, ſuo percipiat. Et, ſi cuius rei nullam invenerit cauſſam ac rationem, non eam propterea exigui momenti eſſe putet. Neque cogitationem de ea ſuſcipiat eandem, quam de rebus, quae profani uſus eſſe ſolent.*

ת״ל.

IOHANNIS

IOHANNIS HENRICI MAII F.

DISSERTATIO

DE

ZABIIS

IN ACADEMIA GIESSENSI

HABITA

RESPONDENTE

HENRICO ANDREA WALTHERO

AD D. XX. Auguſti CIϽ IϽ CCXVI.

---

§. I.

De Zabiis, antiquiſſimis in orbe hominibus, pro ingenii modulo acturi, in vocis originem ut ante omnia inquiramus, neceſſe eſt. Idque iure ſuo exigit non modo publica in exercitationibus academicis ſervari ſolita conſuetudo, ſed et res ipſa, populi dignitas, ac ſumma ſententiarum, a viris doctis propoſitarum, diverſitas. In quibus opinionibus, diſſidentibus invicem, rite colligendis, qua fieri poterit brevitate, verſabimur, eo quod congeſtas fere omnes eas ab aliis videamus, neque, praeter unius alteriusve nomen, addi a nobis quidquam poteſt. Ad tres vero potiſſimum claſſes vocare licet, quotquot de Zabiorum adpellatione coniecturas prodierunt. Sunt enim, qui a *ſitu*, ſunt, qui a *dogmatibus*, ſ. *ritibus*, ſunt etiam, qui ab *auctore* quodam et *conditore* gentis, nomen iſtud arceſſunt. *Primi* ordinis dux eſt IOS. SCALIGER, cuius haec ſunt *lib.* I. *epiſt.* 62. p. 178. verba: *De Zabiis*, *ſcito eſt Chaldaeos* צבאים *Arab.* Tzabim. *Dicti a vento Apeliote: quaſi dicas Orientales.* Eum, quamvis haud nominatum, ſequuntur HVETIVS *Demonſtr. Evang.* propoſ. IV. c. 4. num. 2. p. 107. atque SPENCERVS de *Legg. Ebr. ritual.* p. 212 *Secunda* derivantium claſſis in varias abit partes. Quidam ad Ebr. צבא, *exercitus*, quo nomine ſidera caeleſtia ſacer codex adpellat, recurrunt; ut adeo Zabii nulli ſint alii, quam homines, ex avita ſuperſtione, caeli cultores. Placuit haec etymologia POCOCKIO in *notis ad AbulFaraiium de orig. et moribus Arabum* p. 139. TH. HYDEO *Hiſt. Relig. Perſ.* c. 3. p. 87. IOH. ALB. FABRICIO *cod Pſeudepigr. V. T.* pag. 28. au-

ctori *obſervat. Hallenſ.* tomo V. obſ. 8. pag. 254. GVSSETIO *Comment. L. Ebr.* p. 706. aliisque. Antiquior eſt BEIDAVII, ſ. ut alii efferunt, BIDAVII, interpretis Coranici, originatio, Zabios ab Arab. *Tſaba*, quod *idololatriam committere* notat, advocantis, *comment in Alkor.* p. 153. cuius verba Latine ſic ſonant: *Si Arabicum fuerit* nomen, *orietur ex* Tſaba, *declinavit; propterea quod ab aliorum religione ad propriam fidem deflexerint, hoc eſt, a veritate ad mendacium.* Singularis plane eſt STEPH. LE MOYNE in *notis ad varia ſacra* p. 1005. ſuſpicio, ab Arabica voce, quae *hircum* ſonat, Sabaeorum nomen deſcendiſſe iudicantis, quippe quibus ſub hirci forma infernalis adparuerit ſpiritus, quum mortuos conſulerent atque diabolum. *Tertia* denique claſſis eos profert, qui, *vel* fabulas ſecuti, a Zoroaſtro, aut Tachmurato, ſive Tachuritho, Perſarum rege, aut Iunane quodam, ſive Iavane, filio Mercurii, aut Navazibo, Perſarum aliquo, ortos arbitrantur, quorum mentem enarrat PATRICIDES apud HOTTINGERVM *theſ. Philol.* lib. I. c. I. ſect. 8. p. 55. et ELMACINVS apud eundem in *hiſt. Orient.* lib. I. c. VIII. p. 246. ſeq. *vel*, certiora ſectantes, pro capite populi Sebam, Chuſi filium, Chami nepotem, Arabiae felicis incolam, agnoſcunt; quo de paullo poſt plura. Atque hae quidem celebriores ſunt de Zabiorum adpellatione ſententiae, quas producere ſolas viſum fuit, neglectis quibusdam levioris ponderis aliis, qualis eſt R. IVDAE MVSCATI, *commentario ad librum Coſri*, Part. II. n 33. Zabios eſſe צבאים de quibus Gen. XIV. 2. opinantis; qualis etiam SCHARESTANI, Arabis, quam enarrat POCOCKIVS l. c. p. 138. Poſſent extremo loco addi, qui, difficultates et dubia ſecum aeſtimantes, malunt ἐπέχειν, ut facit HACKSPANIVS in *fide Muhammedis* p. 12. &c.

§. II.

Quod Aquila in nubibus (SCALIGERVM intelligo) voluit, Zabios idem ſonare ac *orientales*, magnum ſpirat ingenium, traxitque in aſſenſum non infimi ſubſellii viros. Cui fir-

firmandae amplius ſententiae et hoc addere liceret, quod ex ſimili plane fonte *Saracenorum* nomen erumpat; ſiquidem POCOCKIVM audire velimus initio *notarum ad ſpecimen hiſtoriae Arabum*, ex Arab. *Scharaka*, ortus fuit ſol, illud derivantem, quaſi dicas, *Orientales.* Eum vero titulum, quem nihil commune cum oriente, ſed tantum cum vento, a ſolis ortu flante, habere notat GVSSETIVS, non ſoli Saraceni, aut Sabaei, ſed quotquot orientem incolunt omnes, quum vindicare ſibi queant; ac praeterea inter tot orientis populos confuſionem facili negotio parere generalis illa deſignatio poſſit, quae incertum ſemper ſubdubiumque relinquit audientis animum, neque peculiarem preſſe deſignat gentem, ſectamve: non ſane video, cur tanto inhaerere opere opinioni, peſſimis alioquin haud connumerandae, conveniat. Quae hanc excipit coniectura, *ab exercitu caeleſti* deſumta, ſatis, fatemur, ſpecioſa eſt; cum exemplo non careat, ut a ritibus et inſtitutis, tam olim, quam patrum noſtrorum memoria, coetibus quibusdam hominum nomina imponantur. Verum, quum mos ſidera colendi ab aliis quoque receptus fuerit; ac proinde haec denominandi ratio ad Sabaeos ſolos minime quadret: ea vix ſufficiet lectoribus, ſolidiora poſtulantibus. Scio, quid obſervator Hallenſis obvertat: Solem quidem et lunam ignemque, apud multos pro diis cultos, at vero univerſum exercitum caelorum, ſive aſtra, non item, niſi apud Chaldaeos. Sed, quod pace viri docti, quisquis ille fuerit, dictum eſto, MAIMONIDES temporibus antiquiſſimis, et, ut ipſe putat, Enoſchi, hoc eſt, diu ante ortos Zabios, homines cultum divinum exhibuiſſe *ſtellis* etiam, *ſphaerisque* caeli, docet, idemque propugnant ANTON. VAN DALE *de origine et progreſſu idololatriae* cap. II. initio, BEYERVS *ad Seldeni Deos Syros* pag. 96. ſeqq. et, qui hunc, quoad hanc materiam, fere transſcripſit, neque tamen nominavit, DAN. CLASENIVS *Theolog. Gentil.* I 4. de inventore tamen invicem non conſentientes, neque etiam tempora eodem modo metientes. Satis hoc eſt, ex hiſtoricis demonſtrari non poſſe, primos ido-

lola-

lolatriae inventores exſtitiſſe Sabaeos, omnemque ſuperſtitionem invexiſſe in orbem; qui potius BEYERO l. c. p. 99. ſcribente, *educatores et expolitores idoli*, iam inventi, nuncupandi ſunt. BEIDAVII, nec non LE MOYNE coniectationes, tertio quartoque loco a nobis propoſitae, una et eadem laborant difficultate. Sive enim verae *fidei deſertores*, ſive *hirci* daemonumve *cultores* vocemus Zabios, convicium inferet utraque adpellatio. Ecquis vero hoc nomen ipſis impoſuit? Num Sabaei ipſi? Id nemo affirmaverit. Ergo alii, ac vel coaetanei, vel recentiores. Coaevos ab hoc crimine liberat Arabica lingua (unde iſta petita eſt etymologia) quum Chaldaico potius nomine vocandi fuiſſent homines illi, ipſaque Chaldaeorum lingua ante Arabicam in orbe fuerit. Aetate multum recentioribus ſi quis id tribuat, quae cauſſa fuit, ut a minima Sabaeorum idololatriae parte, hirci cultu (neque enim immunes ab eo fuerunt, docente MAIMONIDE *More Neuoch.* Part. III. cap. XLVI. poſt init.) nomen darent? et tali quidem conſuetudine, quae inter omnes Zabios recepta haud fuerat. Nam, ut perplexorum ille doctor ait ore Buxtorfiano: *Ex Zabiis quidam fuerunt, qui daemones colebant, et exiſtimabant, quod formam hircorum habeant.* Quod ſi eiusmodi derivationum luſus inſtituere libet, a צָבָה et Syr. *Tſebo*, atque Arab. *Tſaba*, *amare*, cur non aut novarum rerum, aut aſtrologiae, aut idolorum, aut alterius cuiusvis rei amatores diceremus? Tanti eſt, ſervare in genealogiis vocabulorum convenientem modum. PATRICIDEM et ELMACINVM audiviſſe et recitaſſe, eſt ſimul etiam refutaſſe; incerta ſunt, quae proferunt, obſcura, immo plane falſa.

§. III.

Reſtat, ut de iis agamus, qui Sabaeos a Saba nomen cum origine duxiſſe affirmant. Hi, ſi quid videmus, a vero non longe abſunt; viam ſane ſolvendi difficultates, ſupra commemoratas, ingrediuntur certiorem, ad ipſiusque populi antiquitatem aſcendunt propius, quia, quae veterem orbem inco-

coluerunt, diverſae nationes, ab homine quodam adpellationem plerumque fuerunt conſecutae. Ebraei ab Ebero, vel, ut alii malunt, ab Abrahamo; Aethiopes a Chuſcho; Aſſyrii ab Aſchure; Graeci ab Hellene, Deucalionis filio; Arabes a quodam Arab, iuxta eruditiſſimum REINESIVM in *epilogo ἱϛορεμένων linguae Punicae* num. 7. 8. alios tamen aliter deducere non ignoramus. Praetermittimus gentes reliquas a conditoribus ſuis, ſive, ut cum TERTVLLIANO loquar, ab originalibus auctoribus nomina gerentes. Iam vero, quum quatuor omnino dentur, eodem *Seba* nomine venientes, Chuſchi ſc. filius, Chami nepos, deinde Seba ex Rhegma, alius item Iocktanis filius, iterumque alius Iockſanis filius, Abrahami nepos, de quibus BOCHARTVS legendus *Phalegi* lib. II. Cap. XXV. et, qui eius veſtigia premit, celeberrimus Tubigenſium doctor, MATTH. HILLERVS *Onomaſt. ſacr.* p. 290. Primum illum, Chuſi filium, Sabaeorum auctorem fuiſſe adfirmare non dubitarunt HOTTINGERVS *Hiſt. Orient.* I. 8. p. 256. STANLEIVS *Hiſt. Philoſ.* Par. XV. prooemio, LVCAS OSIANDDR *ad Geneſ.* X. 7. LEVSDENIVS in *Onomaſt.* GEORG. GEORGII *Lexic. Sanct.* eandemque opinionem probabilem eſſe fatentur NICOL. GVRTLERVS *Originib. Mundi* I. 10. p. 100. atque celeb. BVDDEVS *hiſt. eccleſ. vet. teſt.* period. I. ſect. 3. p. 333. Alii Rhamae, ſive Rhegmae filio laudem vocati a ſe populi vindicant, quos inter eſt AND. REYHERVS in *Theatro Latino-Germanico-Graeco.* Sed, qui ſic ſentiunt, non attenderunt, Sabam illum, Rhamae F. una cum duobus reliquis a Iocktane ſc. et Iockſane progenitis conſtanter ſcribi שבא cum *Shin*, ſolius Chuſchi filii nomen סבא, per *Samech*, pingi. At ne hunc quidem Zabiorum *κτίϛην* ſalutandum eſſe, ea ipſa ex cauſa, quod tunc סבאים, per ס, non per צ dicendi forent, cum ISAACO CASAVBONO in *epiſtolis* p. 223. contendit SPENCERVS lib. cit. pag. 242. itemque LOESCHERVS de *Cauſſ. L. Ebr.* L. I. 5. pag. 58. atque IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS peculiari quadam exercitatione, quam *Spencerianae de Zabiis hypotheſi* oppoſuit, Witteb. Anno

K 1706.

1706. §. 2. Neque hic audiendum aiunt HOTTINGERVM, litterarum iſtarum confuſionem ignorantiae Muhammedis adſcribentem, quum novus ille Muſelmannorum legislator non adeo *litterarum rudis fuerit, ut Sabiorum nomen litteris, ei voci propriis, exprimere neſciret*; ac praeterea *Arabum filii ſummae elegantiae laudem Alcorano tribuant;* quae fere verba ſunt Spenceriana. At ficulneum hoc eſſe argumentum, ipſe adeo agnovit paullo ante laudatus WOLFIVS §. 12. Nam quod ad S. in Z. mutatum attinet, perantiqua eſt haec mutatio. Teſtantur eam numi apud illuſtrem SPANHEMIVM, loquuntur inſcriptiones athleticae apud OCTAV. FALCONERIVM Tom. VIII. *theſauri Graeci Gronoviani* col. 2324. conqueritur ipſa littera Z. apud lepidiſſimum LVCIANVM in *vocalium iudicio* p. 48. quam ſic inducit loquentem: *ὅτι δὲ ἀνεξίκακόν εἰμι γράμμα, μαρτυρεῖτέ μοι καὶ αὐτοὶ μηδέποτε ἐγκαλέσαντι τῷ ζῆτα, σμάραγδον ἀποσπάσαντι, καὶ πᾶσαν ἀφελομένῳ τὴν σμύρναν. Quod vero littera ſim iniuriarum patiens, vos ipſos teſtes adpello: quae nunquam Zeta accuſarim, etſi ſmaragdum mihi detraxerit, totaque Smyrna me privaverit.* Nempe enim dictum olim fuit *ζμάραγδος* et *ζμύρνα*, utrumque tamen minus recte PRISCIANO magiſtro. *Vitium*, inquit ille, *faciunt, qui Z ante M ſcribunt: nunquam enim duplex in capite ſyllabae poſita poteſt cum alia iungi conſonante.* Apud Arabes ſane, de quibus nunc ſermo, ס vicem צ ſaepius obtinere oſtendit BOCHARTVS in *Phaleg.* II. 30. p. 165 ſ. Neque id mirum; ſiquidem non tantum apud orientis populos, verum etiam apud occidentis, ac Romanos cumprimis, migratio unius litterae in aliam frequentiſſima eſt; qua fine evolvi poſſet G. I. VOSSII de *permutatione literarum* tractatus, *Etymologico* ipſius praemiſſus, atque PASSERATII peculiaris idemque rariſſimus ac eruditione refertus de *permutatione et cognatione litterarum* libellus, quem pauci viderunt, pauciores in uſum convertere didicerunt. Quid? quod ABRABANEL *ad Exod.* II. 10. fol. 102. col. 4. ספרי הצבא, *libros Zabiorum*, no-

nominet, voce illa per צ, non ס ſcripta. Elegantia vero Corani, quae ſecundum SPENCERO praebebat argumentum, nec, quantum iudicamus, huc pertinet, nec in orthographiae regulis conſiſtit, maxime quod ad nomina ſpectat propria, in omnibus propemodum linguis aliter ſcribi ac efferri ſolta; interiora linguae, ſelectum vocabulorum, concinnitatemque ſtructurae, ac nemini adeundos receſſus, et, ſi quae ſunt alia, ad maieſtatem, ornatum ſublimitatemque libri facientia, reſpicere videtur. Geminum huic eſt, quod de Talmude nugantur Iudaei, utpote quod ipſi ſumma venuſtate ſcriptum eſſe propugnant; et tamen tot in illo errores orthographici (nam de aliis nunc non agimus) quot folia. Itaque nil reſtat, quam ut Zabios ac Sabaeos credamus eſſe eosdem, a Seba, Chuſchi filio, ortos, Arabiaeque felicis incolas. Coniectura, fateor, haec eſt; ſed et aliorum ſententiae nil niſi coniecturae ſunt. Felix autem ſuſpicio probationis locum obtinet, quando de ultima populi cuiusdam origine agitur. Talis num Hottingeriana ſit, quam et nos amplectimur, iudicent, qui poſſunt. Neque tamen ita eam amamus, ut aut obtrudere eandem velimus invitis, aut meliorem, ſi quae proponitur, non admittere; eſſet enim illud parum civilis, hoc parum prudentis et veritati minus conſecrati hominis.

§. IV.

Atque hinc, quae Sabaeorum ſit antiquitas, liquere poteſt. Ante Abrahami profecto ſaeculum locari eos, magno conſenſu, et ab Ebraeis, et ab Arabibus videas. Et patriarcham quidem illum inter eos educatum eſſe, MAIMONIDI credamus, *comment. in Auoda Sara* IV. 7. et in *More Neboch.* part. III. cap. XXIX. ineunte. Eſt haec etiam SPENCERI ſententia et HOTTINGERI *atque* HYDEI cap. III. et V. inter Sabaiſmum ante et poſt Abrahamum deſtinguentis. Alii ad poſteriora ſeſe convertunt tempora, Zabiosque aiunt *Arabes eſſe recentiores, qui in peculiarem ſectam ex Iudaiſmo, Chriſtia-*

 niſmo

niſmo et Magorum diſciplina, non nimis diu ante conditum Coranum, coaluerunt; quae verba ſunt cl. LOESCHERI, l. c. pag. 59. ubi et quosdam non longe ab hac opinione abeuntes invenies adductos, quibus ſe comitem adiunxit cl. WOLFIVS diſp. cit. §. XII. Duobus hi nituntur fundamentis maximis: unum eſt, ſcriptorum tam Graecorum, quam Latinorum omnium de Zabiis ſilentium; alterum Muhammed ſubminiſtrat, quippe qui primus eorum fecerit mentionem. Ad prius argumentum quod attinet, verum illud eſſe fateri cogimur, memoriamque Sabiorum in nullo exterorum auctorum aevi antiqui exſtare, ultro concedimus. Ratio vero eius ſilentii ea nobis videtur, quod de orientalium populorum fide ac inſtitutis parum ſolliciti *gentiles*, non modo Zabios noſtros, ſed et cum illis alias quamplurimas diſſidentes a ſe haud nominaverint ſectas, ſive ex ignorantia, ſive ex odio: *ſancti* autem *Eccleſiae Doctores* aut Chaldaeorum, aut Perſarum, aut Aegyptiorum, aut generatim *idololatrarum*, aut *aſtrolatrarum* nomine contenti fuerint; aeque ut *Chaldaeorum* adpellatione genethliacos omnes deſignarunt Romani. Fuiſſe enim Zabios a Chaldaeis non multum diverſos, niſi nomine: fuiſſe quoque illos hominum genus per orbem late ſparſum, nec tam certam gentem, quam eidem religioni addictos, eorum nomine denotari, cum SPENCERO, exiſtimamus. Conf. infra §. VI. Itaque parum nos ferit illud, quod Muhammedes *Sabaeorum* nomen primus uſurpaverit, eo quod inde nondum fluat, paullo ante eius tempora natum demum iſtud fuiſſe; quum ignoratum potius, aut non adhibitum ſtatuere liceat. Id ſaltem inde ſequitur, pſeudoprophetam illum genuinum ac verum propriumque ſectae nomen prodidiſſe, aut novum etiam hoc excogitaſſe; niſi forſan *Sabaiſmus* alio ſenſu Muhammedis tempore poni coeptus, fere ut vocem Ἑλληνισμὸς paganam religionem Iuliani demum Imp. aevo denotaſſe ANDR. ALCIATVS *Parerg.* V. 2. perſuaſum ſibi, ſed perperam, habet.

V.

§. V.

Quomodocunque vero illud ſe habeat, prima inter eos, qui communem ſtragem evaſerunt, libros, mentio habetur in Alcorano Surata II. commate 59. vel iuxta nonnullorum diviſionem 61. Verba huic loco quam maxime neceſſaria ſunt, quae quia, typorum defectu, Arabice adſcribere non conceditur, in Latinum fideliter mutata adponemus. *Profecto quicunque crediderint, et qui Iudaei fuerint, aut Chriſtiani, aut Sabaei; quicunque crediderit in Deum, diemque noviſſimum, illi merces eſt apud dominum ipſorum, nullo illis imminente timore, triſtitia nulla.* Sabaei hoc loco pagani ſunt, quamvis et MARACCIVS Chriſtianorum haereticos intelligat, et auctor cit. *obſ. Hallenſ.* pag. 257. ſſ. et eum ſecutus WOLFIVS §. V. et VI. operoſe probare contendant, nequaquam idololatras in animo habuiſſe Mohammedem, ſed Zabios potius et Iudaeis, et Chriſtianis iungere, adeoque Iudaizantes aliquos videri homines; quum vero haud ſimile videatur, eum Zabiis, ob idolorum cultum ſat inviſis, (nam de Iudaeis et Chriſtianis ſentiebat mollius) ſpem ſalutis aeternae conſequendae facere potuiſſe. Nobis vero mens eius vera haec eſſe videtur: converti ad Islamiſmum poſſe quemvis, ac unum cognoſcere Deum, diemque extremum (in quibus duabus partibus tota fides Muſelmannorum conſiſtit) at non quemlibet in qualibet religione ad vitam aeternam aſpirare poſſe. Adeoque Muhammedes Iudaeos potius et Chriſtianos Sabaitasque perſtringit, utpote quos omnes non unum, ſed plures agnoſcere Deos male credidit; quem huius loci genuinum ſenſum debere nos eruditioni principis in litteratura Arabica viri, ANDR. RELANDI lib. *de Relig. Mohammed.* pag. 101. ingenue fatemur. Ita nimirum, ut de nobis Chriſtianis ſentiret Mohammedes, tres divinitatis perſonae, ab ipſo non admiſſae, in cauſſa ſunt; πολυθεότητος vero nota, Iudaeis tributa, longius petenda eſt, quam feliciter indagauit perinſignis Theologus, Arabica eruditione clarus, I. M. LANGIVS, in eruditiſſimo *de fabulis Moham.* tractatu, Ratio

illa haec eſt: Muhammedi *rabbon* nonniſi verum Deum notat; itaque quum Rabbinorum titulus in Iudaica gente frequentiſſimus ſit, ignorantia linguae errorem peperit ridiculum, Muhammedanis exiſtimantibus, doctores illos Ebraeorum divino a plebeiis adfici cultu. Sic ſponte cadit inſana illa argumentorum moles, quam contra *paganorum* notionem ex Corani loco exſtruere quibusdam placuit. Denique non poſſum, quin errorem, a PAVLO RICAVTO in *Hiſtoria Imperii Ottomannici* propoſitum, hoc loco ex occaſione tangam, quia et HINCKELMANNVM in *praef. ad Alcoranum*, et WOLFIVM diſſert. ſaepius nominata, et alios adhuc plures auctoritate ſua ſeduxit vir illuſtris, in aula Turcica Meſſianorum dari ſectam, Chriſtum verum Deum mundique ſoſpitatorem profitentium, ſcribens; quae a vero longe abeſſe, tanta nobis adfirmarunt fiducia, qui orientis regiones diu peragrarunt, in Romaque nova verſati per multos annos fuerunt, ut tot omnino teſtibus maiorem, quam uni RICAVTO, fidem adhibere vix dubitemus.

§. VI.

Itaque Sabiorum gentis primum erat, deinde ſectae nomen, quod, praeter MAIMONIDEM et SPENCERVM, ſciſcit etiam HERBELOTVS *biblioth. orient.* p. 726. GVRTLERVS lib. cit. pag. 100. MORERVS in *magno dictionario* tom. IV. pag. 303. Adeoque ſequioribus temporibus generale hoc nomen factum eſt, quale apud Rabbinos מינים, quod generatim omnes a fide Iudaica vel deficientes, vel alienos, tum malos quosuis, ac Chriſtianos potiſſimum declarabat. Vide GAVLMINVM ad *Pſellum de operat. daemon.* pag. 8. 9. Cl. ZELTNERVM in *fragmento Paulli ἀθεοπνεύστῳ* pag. 6. 25. 27. 84. EISENMENGERVM in *Iudaiſmo detect.* part. I. cap. XVI. pag. 691. ſeqq FVLLERVM *Miſcell. Sacr.* Lib. II. cap. III. HENRIC. HOVTINGVM ad *tractat. Talmud. Roſch. haſſchana* pag. 42. quibus adde indicatos a doctiſſimo WOLFIO in *notitia Karaeorum* p. 21. Ebraeis ſcripto-

ptoribus, magno numero ab aliis in hanc rem dudum prolatis, adiiciendus R. DAVID VIDAL in *Michtam le-David* fol. 81. ſeq. edit. Venet. Poſſet et hiſtoriola ex *Chagiga* fol. 5. b. adponi, vix aliis obſervata, R. Ioſuae, filii Chananiae, manuloquium cum quodam haeretico enarrans, ac multa contra Chriſtianos iniqua continens, ubi per ההוא מינא intelligendum eſſe aliquem תלמידי ישו שאינן מודים לדברי חכמים *diſcipulorum Ieſu, qui ſcita magiſtrorum non ſequatur,* ſcribere veritus haud eſt perpetuus Chriſtiani nominis hoſtis, RASCHI.

§. VII.

Scripta Sabiorum nil opus hic longe ordine commemorare, quum et perierint omnia (niſi ISAACI, *Zabii*, librum *de Zabiorum gente et moribus* exceperis, quem apud Arabes Muhammedanos aſſervari vult SCALIGER *libr.* I. *epiſt.* 62. pag. 178.) et legi poſſint apud MAIMONIDEM, STANLEIVM, locis dictis, HOTTINGERVM *biblioth. oriental.* p. 103. ſeq. Praetermittere tamen nequeo librum, עבודה הנבטית inſcriptum, cuius etiam meminit auctor τȣ̃ *Coſri* part. I. §. LXI. pag. 27. qui tamen non ad Sabaeos, ſed ad Indos volumen illud refert. Verba eius ſunt: *Libri illorum Aſtrologici, in quibus de decem millibus annorum garriunt; item libri* ספרי העבודה הנבטית *de agricultura, de aſpectibus, in quibus mentionem faciunt nominum Iambuſar, Tzagrith et Roane, quos dicunt ante Adamum vixiſſe, et Iambuſarem aiunt praeceptorem fuiſſe Adami primi.* Notandum omnino, hoc teſtimonium, eo quod duos diverſos libros facit, quorum unus העבודה, alter הנבטית fuerit dictus. Poſteriorem *Buxtorffius* reddidit *de aſpectibus*, quaſi, a themate נבט ars iudiciaria aſtrologorum denotetur. Sed rectius alii pro uno habent ſcripto, cuius antiqua verſione, quae olim exſtabat, Latina, uſus fuit THOMAS AQVINAS, eratque titulus: *De agricultura Aegyptiorum.* Nempe enim interpres ille, quisquis fuerit, loco הנבטיה legiſſe videtur הכבטיה *Coptica*, ſive *Aegyptica*, coniiciente SELDENO

DENO *de Iure nat. et gent.* II. 7. pag. 208. Quin et prius nomen עבודה quidam *cultum*, alii *agriculturam* reddunt; illis, quae ad cultum divinum pertinent, his, quae ad modum colendi agros ſuperſtitioſum, eliciendam pluviam &c. faciunt, in eo libro expoſita fuiſſe exiſtimantibus. Vterque ſignificatus coniungendus venit, quum agriculturae praecepta cum fidei capitibus copularint Zabii, eorumque inſtituta, etiam ſacratiora, ad agriculturam ſpectarint, ut ex *Maimonideo More* III. 30. videre licet, qui et antecedente capite libri, de quo agimus, recenſionem inſtituit. Neque confundendus hic liber eſt cum eo, quem ſcriptum ab Adamo cenſent Sabaitae, ut in *Pſeudo-Veteri Teſtamento*, ſub IOH. ANDR. SCHMIDII praeſidio anno ſaeculi huius VII. evulgato, factum video, quum neque SIMONIVS *hiſt. crit. V. T.* lib. I. Cap. VII. pag. 46. neque MAIMONIDES, ad quos ibi provocatur, Adamo librum de *agricultura* tribuant, immo hic potius, dum excerpta libri de *agricultura* dedit, mentionem fabularum faciat, in illo volumine, ex libro Adami, ſed cuius titulus haud nominatur, propoſitarum. Eius tamen titulus eſt *Sedro le-Adam*, vel, ut in epiſt. *Huntingtonianis* audit p. 48. *Sahaf Adam*, ſcriptus lingua Chaldaica, nec ad Zabios noſtros antiquos (de quibus unice loquitur MAIMONIVS) ſed recentiores ſpectat, qui ab illis genus et ſtemma ſuum ducunt, melius tamen Sabbaitae, item Mandaitae, vel Mendaei, nec non Chriſtiani S. Iohannis adpellantur, (in quos inquirunt ANGELVS *a* S. IOSEPH in *Gazophyl. Linguae Perſ.* HERBELOTVS *biblioth. orient.* p. 725. ſeq. MORERVS loco indicato, THEVENOTIVS *itinerar.* part. II. lib. III. cap. II. PHILIPPVS *a* SS. TRINITATE, TAVERNIER, ac peregrinatores orientis alii, nec non ABRAH. ECHELLENSIS in *Eutychio vindicato*) egitque de eo libro, quantum ſatis eſt, clariſſ. FABRICIVS in *codice pſeudepigr. V. T.* pag. 27. ſeqq. Ad noſtram curam is non pertinet, uti nec reliqui, qui ſub patriarcharum et Sethi cumprimis nomine (de quibus et epiſtolae loquuntur *Huntingtonianae* p. 39. ſeqq. et HOTTIN-

GERVS

GERVS agit *hiſtor orient.* I. 8. pag. 258. ſſ.) a Zabiis circumferebantur, quum propoſitum hic nobis unice ſit, ab ipſis Sabaeis confictos libros conſiderare. Denique circa librum de *agricultura* notandum, eum ab ABARBANELE *ad Exod.* II. 10. fol. 102. col. 4. edit. Hanov. ספר הצבא ſalutari, idque ex ABEN-ESRA ad eundem locum eſſe petitum, apud quem tamen ס׳ עבודת האדמה ſcribitur. Vterque translatum ex Aegyptiaca in Arab. linguam teſtatur. MAIMONIDES etiam interpretem nominat *Ibn Vaſchiia*, celebrem inter Sabios magnum, de quo conſulendus HOTTINGERVS *bibliotb. orient.* p. 103. Ipſum vero librum, ab ABARBANELE ס׳הצבא dictum, recte convertit HVETIVS loco ſupra citato *librum Sabiorum*, quod et nos §. III. fecimus; apud Rabbinum tamen non unicus aliquis liber הצבא, ſed plures (ספרי in plurali) memorantur, quamvis illum intelligat, ad quem, fide ABEN-ESRAE ſubnixus, provocavit.

§. VIII.

Liber *Haïſtamchus* qualis fuerit, nec a MAIMONIDE traditum eſt, nec ullo alio; unde et incognita de eo omnia, niſi quod ARISTOTELI, ſed perperam, adſcriptum ſummus Iudaeorum doctor indicet. Et nos, quid de eo dicamus, non invenimus, praeterquam quod Rabbinicum videatur אסטומכא, ex Graeco στόμαχος corruptum, adeoque medicus aliquis fuerit liber, curandi artem ex ſuperſtitione praeſcribens. Verum nec hoc facit ſatis; quare iudicent et inquirant peritiores. Fuit alius Sabiorum liber *Hattelesmaoth*, ſive de imaginibus, ſub certo ſiderum poſitu confectis, quae et futura eloqui, et contra infauſta defendere credebantur; de quibus legendi ex multis HOTTINGERVS *hiſt. orient.* lib. I. c. VIII. p. 284. ſeqq. SPONIVS *itiner.* tom. I. p. 111. 112. GEORGIVS WHELER *itiner.* lib. 3. p. 276. verſionis Gallicae, STANLEIVS *hiſt. philoſ.* parte XIII. ſect. II. cap. XXVI. ſeq. GAFFARELLVS in *curioſ. inauditis*, OLEARIVS *ad Philoſtratum* III. 21. p. 112. IACOB. GEVSIVS *de victimis humanis*

nis part. I. cap. XX. p. 325. ſſ. Et Sabios quidem ea in arte excelluiſſe, docebunt, qui de iis ſcripſerunt omnes. Addique poſſet REINESIVS *variar. lect.* lib. III. c. 11. pag. 515. et cap. XVII. pag. 638 Libri *Tamtam* et alius *Haſſcharabh* nuda proferuntur nomina. *Prior* tamen reddi forſan poteſt liber *complementi*, eo quod vel extremum ſuperſtitionis Zabiorum culmen attigerit, vel omnia, ad rem divinam pertinentia, brevi gyro fuerit complexus, vel denique inanem quandam amuletorum doctrinam propoſuerit, idque ex geminata Arabum voce תמם, quae prophylactica collo appendere notat. Alius liber טומטום. *Tumtum*, memoratus a MAIMONIDE III. 37. neſcio, an ab hoc diverſus. *Poſterioris* libri adpellatio vel ex Chaldaeorum lingua peti poteſt, vel ex Arabum. Chaldaeis aeque ut Ebraeis שרב *aeſtus* eſt, et inde ſequens *ſiccitas*, quae qua ratione pelli arcana quadam arte eliciendarum pluviarum poſſit, hic ſine dubio liber expoſuit, et paullo fuſius quidem, quam in primo omnium ſcripto, *cultura Nabathaeorum* dicto, factum fuerat. Arabibus porro *Scharaba* notat *bibendum dedit*; et *Scharabon* quilibet potus, ſpeciatim medicus eſt, Syrupus vulgo dictus, quem conficere docuit forſan ille liber. Placet vero nobis prior coniectura magis quam poſterior, eo quod MAIMONIDES de r bus idololatricis omnes hic recenſitos Zabiorum libros diſſeruiſſe palam teſtatur. Etiam portam quandam Charranis dici *Aſſarah*, ex MVHAMMEDE BEN ISAAC *de ritibus Sabaeorum*, ab HOTTINGERO pag. 269. adducto, colligere licet. Qui reſtant Sabiorum libri *de gradibus orbium caeleſtium, figurisque in unoquoque gradu conſpicuis*; alius de *Talismanibus*, ARISTOTELI ſuppoſitus, iterum alius, HERMETI aſcriptus; liber ISAACI, *Zabii*, quo religionem ſuam propugnat, eiusdemque ſpiſſum de *ritibus Zabiorum* volumen, quod *exſtat adhuc in manibus Muhammedanorum*, ſi habenda fides SCALIGERO, quem paullo ante §. VII. adduximus, ex ſolis cognoſcuntur titulis, neque uberiore egent cura, quam antegreſſis ea ex cauſa libentes impendimus, quod ſacrum de iis apud omnes ſilentium.

§. IX.

§. IX.

Dogmata Zabiorum ritusque tam plene perſcripſerunt MAIMONIDES, HOTTINGERVS, SPENCERVS ac STANLEIVS, ut verbum addere velle, eſſet Iliada poſt Homerum ſcribere. Nec tamen tacere de his plane nunc licet, ne potiorem praetermiſiſſe partem videamur; dicamus ergo, quantum inſtituto et brevitati noſtrae conveniet. Evertenda vero eſt illorum opinio, qui Zabiorum ſcita, a RAMBAM propoſita, pro ſuſpectis habent partim, partim pro non recte intellectis ab his, qui Chaldaica Zabiorum ſcripta in Arabicam mutarunt linguam. Quae uno halitu difflari poſſunt omnia, quum in rebus hiſtoricis non coniecturae, ſed facta locum habeant, ac praeterea in MAIMONIDEM, virum integerrimum, ne ſuſpicio quidem cadat tanti mendacii. Mendacii dico, quo non ullum dari maius poſſet, gentem aliquam fingere, ſcripta eius enarrare, ritus perſequi, dogmata recenſete, tam copioſe, tam circumſpecte, tanto ingenio, tanta fiducia, ut de veritate ſecuros cummaxime praeſtare lectores poſſet. Novi, quid in Iudaico doctore reprehendant, eum ſcilicet non immunem prorſus fuiſſe ab omnibus nugis deliriisque, quamvis SCALIGERVS ſolum hunc inter Iudaeos nugari deſiiſſe exiſtimet. Neque ignoro, R. ABRAHAMVM BEN DAVID multos eius lapſus annotaſſe; ſed eum *nimis acrem et diligentem fuiſſe animadverſorem vitiorum*, iudicium eſt CVNAEI *de rep. Ebr.* I. 17. eidemque *in deliciis fuiſſe Maimonidem reprehendere* ſcribit SELDENVS *de Synedr.* lib. III. cap. II. Fac verum eſſe, quod IOH. IAC. CRAMERVS in *praefat. ad aram exteriorem templi ſecundi* ſtatuit: minorem eum fuiſſe RASCHIO in rerum Talmudicarum peritia. Sacris eum excluſiſſe omnes Galliae Synagogas, quid mirum? RABBI *tamen* NACHMANIDES cauſſam eius ſuſcepit, nec infeliciter, in re quadam levi, quae tam ſeveram poenam vix meruerat, quam etiam unicus intellexerat RAMBAM, prae Iudaeis per orbem omnibus. Vide de ea materia LVD. DE COMPIEGNE DE VIEL ad initium *tractatus Maimonidei de*

ſacrificio paſchali. Iſta profecto, et, ſi quae his dantur ſimilia, nondum efficiunt, quo minus et ſapientis, et boni, et veritatis ſtudioſi nomen ipſi tribui debeat. Etſi enim vel in ritu aliquo vetere, vel ſententia magiſtrorum exponenda, non pari ubivis felicitate fuerit uſus; etſi unum commiſerit alterumve errorem, hominemque ſe fuiſſe oſtenderit: non tamen aut integram confinxiſſe hiſtoriam, aut data opera falſum tradere voluiſſe dicendus eſt. Adde, quod ex univerſis eius operibus nullo commonſtrari exemplo ſimilis impudentia et audacia poſſit; quam proinde in hoc ſolo argumento quaerere, nil aliud eſt, quam fidem, tot comprobatam ſpeciminibus ac documentis, debili inſtrumentorum genere impugnare. Sed et illud non admittendum, quod a viro clariſſimo in exercitatione, *Zabiis Spencerianis* oppoſita §. 10. adfirmatur: *Maimonidem eo potiſſimum conſilio novam hanc legem Moſaicam* (ex Zabiorum inſtitutis) *interpretandi viam vel oſtendiſſe reliquis, vel familiarius calcaviſſe, quod hac ratione Chriſtianis aegre ſe facere poſſe videret, qui Novi Foederis veſtigia hic non obſcure, aut leviter adumbrata oſtendebant.* Quod ſi enim hoc ſibi propoſitum habuiſſet, aut revera praeſtitiſſet contra Chriſtianos MAIMONIDES, non ſane ob doctum illud opus *More Nebochim* tantas excitaviſſent verpi turbas, ut auctori haereſeos crimen inurere vix dubitaverint; quos motus viro doctiſſimo bene notos fuiſſe, ex *bibliotheca* eius *Ebraea* pag. 858. patet, meminitque eorum, ut obiter hoc addam, SIMONIVS *Hiſt. Critic. V. T.* lib. III. cap. VI. pag. 379. quo capite accuratam *Doctoris perplexorum* recenſionem exhibet.

§. X.

Ipſa nunc dogmata huc recidunt. Apocryphis patriarcharum libris et plane ſpuriis, ſupra tactis, contenti, oraculorum vere divinorum nil habuere. Mundo, cum quibusdam gentilium philoſophorum, aeternitatem tribuunt: in Phyſicis fere cum Ariſtotele conſentiunt; in precum ordine numeroque quotidie obſervando cum Muhammedanis; im-

mun-

munditiem crebra lotione, ad modum Iudaeorum, abſtergunt; in fide coniugali ſervanda accurati, in plerisque aliis vitae negotiis ſuperſtitioſi. Pro numinibus venerantur ſtellas, ſeptemque planetas; pro maximo deorum ſolem habent, quem et mundum gubernare credunt, adpellantes eum *dominum magnum*. Sed haec cum aliis gentibus, idololatriae deditis, communia habuerunt Zabii, qui dum ſolem adpellant *dominum*, conſuetudine id faciunt orientalium. Hydaſpes, Aethiopum rex, apud HELIODORVM libro X. non longe a fine, rem divinam facturus, ſic orditur: Ὦ δέσποτα ἥλιε, καὶ σελήνη δέσποινα. *O domine Sol, et Luna domina.* Septem vero ſtellas maſculos cenſent et femellas, ſuavi coniugii vinculo ſociatos. Nempe et hoc pro captu veterum, qui utrumque in divinitate ſexum libentes iungebant; quam in rem egregie differentem vide ALEX. MORVM ad Act. XVII. 18. Cultu proſequuntur haec ſua numina vel *diurno*, vel *nocturno*. *Ille* nil ſingulare habebat, conſecratusque erat primus dies Soli, ſecundus Lunae, rertius Marti, quartus Mercurio, quintus Iovi, ſextus Veneri, ſeptimus Saturno. Quam dierum denominationem antiquiſſimam eſſe luculenter monſtravit SELDENVS *de Diis Syris Syntagm.* II. cap. IV. p 291. *Hic* varius erat. et pro menſis ratione ſingularis, longiorque quam ut huc transferri debeat. Accurate de illo HOTTINGERVS, et, qui hunc in compendium redegit, STANLEIVS parte XIV. cap. 4. Delibabimus hinc nonnulla, quibus breves adſpergemus obſervationes. Primi vertentis anni (incipit is a menſe Niſan) tres dies conſecrati fuerunt *Belthae*. Sic Venus nuncupatur, antiquo vocabulo Chaldaeorum בעלת, *domina*. Βααλτὶς memoratur a Sanchoniathone apud EVSEBIVM, quae et Dione dicitur. At vero Dione mater fingitur Veneris, non ipſa Venus. In his tamen fabulis confuſiones perſonarum crebrae ſunt, ut iis notum, qui aliquantum temporis hisce impenderunt nugis. Nec ſola Venus בעלת, nam et Iunonis notum eſt ex Ebraica veritate epitheton בעלת שמים. Vtraque dici meretur *domina*,

 utra-

utraque *Beltha.* Quid manifeſtius loco HESYCHII? Βήλθης, ἡ Ἥρα, ἡ Ἀφροδίτη. *Belthes Iuno, vel etiam Venus eſt.* Hinc et Νύμφη Βάλτη pro Venere habetur apud PLVTARCHVM in *vita Solonis* pag. 84. Menſe quarto Thammuzum lugebant feminae, ritu ſane veterrimo, quem multi deſcripſerunt, nemo tamen tam copioſe atque auctor *Antiquitatum Palmyrenarum*, nuper etiam in linguam nobis vernaculam converſarum, in praefat. qui et illud inprimis notatu dignum refert, eandem caerimoniam hodieque a mulieribus, Aleppi habitantibus, frequentari. Sacrificia, quinto menſe oblata, omnem a Zabiis humanitatem exſulaſſe docent, infantem mactantibus, horrendo quidem ritu, ſed orientis populis, multisque etiam occidentis, recepto, a ſupra memorato GEVSIO peculiari libro fuſe expoſito, qui et hominum noſtrorum part. II. cap. XVIII. pag. 410. mentionem intulit. De Aegyptiis, eodem nefando ſcelere contaminatis, ac Iunoni homines offerentibus, vide THOM. GALEVM *ad Iamblichum de Myſteriis* pag. 278. de Aethiopibus HELIODORVM lib. X. pag. 464. quos inter Gymnoſophiſtae hoc abominabantur, teſte eodem p. 469. 517. de Latinis, Gallis, Poenis, Tyriis, REINESIVM *ἱστορουμένοις linguae Punicae* cap. VII. de Graecis, Romanisque GROTIVM in *veritate relig. Chriſt.* lib. II. §. 11. de iisdem et longe pluribus gentibus CLASENIVM *ad tabulam Cebetis* p. 10. PERIZONIVM *ad Aeliani var.* hiſt. XII. 28. ut taceam alios. Nonum menſem, quem *Canun primum* vocabant, cultui Veneris potiſſimum impendebant, tabernaculum ei erigentes, amoena frondium, florum, fructuumque diverſitate ornatum, cui nomen *Thalamus Veneris* impoſuerunt. Non multum ab his, opinor, abierunt Adonidis horti, Veneris marito inſtructi, ex foeniculo et lactuca confecti, in vaſibusque teſtaceis ſeminati, de quibus tanto eruditionis apparatu MEVRSIVS egit *in Graecia feriata*, ut in eius diligentia nil iure deſideres, praeter unicum et nobilem IVLIANI, imperatoris, locum in *Caeſaribus* pag. 231. Τί δὲ εἶπεν, εἰσὶν, οὓς λέγεις. Ἀδώνιδος κήπους; αἱ γυναῖκες, ἔφη, τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἀνδρὶ φυτεύουσι

σι ὀστρακίοις ἐπαμησάμεναι γῆν λαχανίαν. Χλωρήσαντα δὲ ταῦτα πρὸς ὀλίγον, αὐτίκα ἀπομαραίνεται. *Quinam ſunt illi, inquit, quos appellas Adonidis hortulos? Hi nempe, quos Veneris marito mulieres apparant, ingeſta in teſtas levi terra, uti oluſcula ſurgant; quae, ubi brevē tempus floruere, ſtatim marceſcunt.* Praeter hunc etiam ARRIANI ex *diſſertat. Epict.* IV. 8. p. 431. ἂν δὲ πρὸ τοῦ γόνυ φῦσαι, τὸν στάχυν ἐξενεγκῇ, ἀτελές ἐστιν, ἐκ κήπου Ἀδωνιακοῦ. *Si ſpicam ante geniculum protulerit, imperfectum eſt frumentum, eſt ex hortis Adonidis.* Ceteros menſes relinquimus intactos, quum ex hoc ungue indicium de leone facere cuiuis perquam ſit facile.

§. XI.

Peculiarem merentur ex ritibus Zabiorum conſiderationem illi, qui legi, Iſraelitis, per Moſen, datae, oppoſiti creduntur, in quibus eruendis Maimonidea laudanda venit induſtria, tum Hottingeriana, inprimis autem Spenceriana, quo nemo diligentius hoc pertractavit argumentum. Ex innumeris pauciſſima, ſpeciminis loco, adferemus. Vetitum erat Iudaeis ſacrificia offerre שעירים, *hircis*, ſive malis geniis, hircorum forma apparentibus, Levit. XVII. 7. Id contra faciebant Zabii, nec hi ſoli, ſed aliae quoque gentes. Vide, ſi tanti videbitur, TOLLII *fortuita* c. 8. p. 66. ſ et VRSINI *Analect. ſacr.* p. I. lib. VI. c. XXXIX. Magi et harioli inter Iudaeos tolerari non debebant; Zabii vero et plurimos pro ſanctiſſimis numinique proximis habuerunt. A bove interficiendo ſeſe abſtinuerunt Zabii, ob inſignem uſum, quem illud animal in agris colendis praebet, aeque ut bovem aratorem mactare non licebat Phrygibus, iuxta NICOLAVM, *Damaſcenum*, *de moribus Graecorum*, neque etiam Athenienſibus, ut, praeter antiquitatum ſcriptores, FEITHIVM et PFEIFFERVM, interpretes notant ÆLIANI *ad var. hiſt.* V. 14. quamvis non ſemper ea lex obtinuerit. Quin et Iudaeis libera cum bobus agendi conceſſa erat poteſtas. Liberos per ignem traducere graviter interdictum eſt Iſraelitis; verum apud Zabios nil magis uſitatum. Februatione opus tantum erat, cuius antiquis-

quiſſima apud Homerum veſtigia quaerit GAVLMINVS *ad Pſellum* p. 35. neque crematio tunc admittebatur a Zabiis, licet ἀνθρωποθυσίαν alias abominati haud fuerint, ut paullo ante vidimus. Veſtem viri mulier ex lege Deuter. XXII. 5. induere non poterat. Secus apud Sabaeos fuit, et Graecos, ipſosque hodie Iudaeos, ſolemnitatem Purim agentes. Confer, ſi lubet, cl. Praeſidis Obſerv. Sacr. lib. III. p. 133. Sat dictum de Zabiorum nomine, antiquitate, doctrina atque ritibus; quae etſi nec ad dignitatem materiae aſcendant, nec tuam forſan, lector, exſpectationem aequent, noſtro tamen ingenio, quod natura breviore gyro intra mediocritatem coercuit, et brevitati, cui ſtudendum erat, apprime congruunt.

§. XII.

Addam coronidis loco Zingaros, quos a Zabiis ortos HOTTINGERVS arbitratur *Theſ. Philolog.* pag. 56. Vellem, rationes adpoſuiſſet, cur ita ſentiret; nec ſolum R. GEDALIAM ſecutus, *in Schalſcheleth hakkabala* ſcribentem, Zingaros tempore Ieſaiae vatis Chaldaea exiiſſe: unde nemo quiſquam id ſecure inferet, quod quidem hinc fluere putat vir doctus, qui tamen in *Hiſt. Eccleſ.* Saec. XV. pag 32. Zingaros, *vel* Zabaeos, *vel* Tartaros fuiſſe, parum quippe ſibi conſtans, pronuntiat. Non minus certa haec ſunt, quae de palantis hodienum populi origine dicitur, quam aliorum ea de re ſententiae, quas peculiari diſſertatione, ſaepius recuſa, collegit IAC. THOMASIVS, quibus adiicere poſſis TOLLII opinionem, qua eosdem cum Maſſilianorum ſecta eſſe contendit, in *Itinerar. Italic.* pag. 107. ſeq. item TENZELII *colloq. menſtr.* an. 1689 pag. 833. ex inſula Ceylan arceſſentis, atque WAGENSEILII in *praefat. ad* libellum *de Germaniae Phonaſcis*, Iudaeos Germanienſes fuiſſe primos Zingaros, propugnantis. Fortaſſe de tot diverſis coniecturis, et noſtrae quoque diſputationis magna parte, uſurpaverit quis illud:

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

IEREMIAE

IEREMIAE LOSSII

DISSERTATIO

DE

EPISPASMO IVDAICO

IN ACADEMIA IENENSI

PROPOSITA

RESPONDENTE

IOH. SALOMONE SAVL

menſe Octobri CIↃ IↃ C LXV.

DE
EPISPASMO IVDAICO
DISSERTATIO
CAP. I.

Introitus. Epiſpaſmi derivatio. Character graecanicus. Deſcriptio. Ἐπισπαστικοὶ et מְשׁוּךְ. Recutiti et recutita Sabbata ex *Perſio*. Artificium fuit. apud Iudaeos quidem, quod probant Rabbini. מוּל. Teſtimonia Talmud. *Maimonid*. Probatur ex Bibliis. Dictum *Pauli* 1. Cor. 7. varie explicatum. *Hieronymus* et *Salmero* negant epiſpaſmum. Ἐπίκρισις. Probatur tamen ulterius ex *Ioſepho*. *Epiphanio*. *Friſchmuthio*. *Baronio*. In loco Ioſuae quid שֵׁנִית? Aegyptii circumciſi. Cynocephalus. De Aethiopum circumciſione error vulgaris. An iis in uſu epiſpaſmus?

§. I.

Ne ſuſpenſum diu benevolum lectorem detineamus, noluimus longis praefaminibus perituram onerare chartam; ſed illico, quid *Epiſpaſmus* ſit, declarabimus; ne inuſitato hoc vocabulo praeſtigiatorem nos fortean putet aliquis, ſibique adeo *μεταμόρφωσιν* quandam imminere. Prius tamen illud inclamandum erit: Ἑκὰς ἑκάς ἐστε βέβηλοι! a) Dum enim multis in locis ſcapham ſcapham adpellare debuimus,

 ca-

a) *v.* TAVBMANN. *ad Virgil. l. VI. Aeneid. v.* 258.

cavendum eſt, ne offendatur aliquis, neve exiſtumet, nos clathros pudicitiae tranſiliiſſe. *IESV, ut nobis ſuccuras, devote precamur!*

§. 2. Dicitur ergo *Epiſpaſmus* ἀπὸ τȢ ἐπισπᾶσθαι, *attrahere*, vel *accerſere.* Subintelligenda vox πόσθη, vel ἀκροβυστία *praeputium*; quia praeputium attrahitur et magno labore accerſitur. IOH. STEPH. MENOCHIVS b) hac utitur voce; alias non adeo memini me legere. Videtur autem deſumptum eſſe hoc nomen ex *loco* PAVLI, infra §. 11. citato, ubi dicitur: Μὴ ἐπισπάσθω, ſcil. τὴν ἀκροβυστίαν, *ne adducat praeputium.*

§. 3. Vocatur alias *Character graecanicus*, teſte SALIANO, c) haud dubie, quod ſignum eſſet et character gentiliſmi. *Graecanicum* enim idem ac *gentilem* eſſe exiſtimo; quia, cum *Graeci Iudaeis* opponuntur, per *Graecos* utplurimum intelliguntur omnes alii populi, vel homines, qui non Iudaei d); idque MARTINIVS e) etiam exinde probat, quod *Syrus interpres* in N. T. pro *Graecis* ſaepe ponat *Aramaeos.*

§. 4. *Eſt* autem Epiſpaſmus *artificium, quo Iudaei circumciſi praeputium iterum ſupra glandem attrahebant, cum a religione deficerent.*

§. 5. Vnde illi, qui *praeputium adducebant*, vel patiebantur, ut arte quadam attraheretur, ἐπισπαστικοὶ adpellantur. Rabbinis dicitur מָשׁוּךְ, qui attractum praeputium habet. Ita enim *Gloſſa* in *Ievammoth* ſcribit: מָשׁוּךְ id eſt: מהול שנמשכה ערלתו; *Circumciſus, cuius attractum eſt praeputium.*

§. 6. A nonnullis tales vocantur etiam *Recutiti*, quaſi iterum cute tecti. Ita interpres PERSII f) dicit *recutitos dici, quibus nova cutis reſtituta eſt.* MENOCHIVS g) adducit quo-

b) *de Repub. Ebraeor. l. 3. c. 17. §. 16.*
c) *Annal. Eccl. ad annum M 3879.*
d) *vid. Rom. I, 17. c. III. 9. c. X, 12. Gal. IV, 28. Col. III, 11. Act. XIV. 1.*
e) *Lexic. Philog.*
f) IOH. BRITANNICVS *ad Perſii ſat. V. v. 148.*
g) *l. c. adducit Baron. Annal. Eccl. An. 34.*

quoque BARONIVM, eumque carpit, quod ita derivet; in quo tamen nihil reperire potuimus, niſi quod alibi h) adducat *interpretem Martialis*, qui ad hunc locum: i)

Nec recutitorum fugis inguina Iudaeorum,

dicat: *Quoniam Iudaeorum pueris cutis inguinis reſcindebatur, poſtea, cum cutis ſuccreſceret, dicebantur recutiti, quaſi nova cute tecti.* Alias bene novimus, quod *recutitus* communiter pro quovis Iudaeo apud auctores uſurpetur. Vnde *Gloſſae* veteres: *Recutiti, ἀποσετυρμένοι, περίτομοι*; et MARTINIVS k) ita putat dictum, quaſi *cui cutis retroverſa.* Quid *recutita Sabbatha* ſint, vide LVBIN. l) ad illud PERSII: m)

Labra moves tacitus recutitaque Sabbata palles.

Recutita putat dici *ob Iudaeos Apellas, circumciſos, recutitos et praeputiatos.* Vbi *recutitos* et *praeputiatos* coniungit, et ſtatim addit: *Id eſt recutitorum et circumciſorum Iudaeorum.*

§. 7. Artificium audit ratione operationis, quod τέχνῃ τῇ ἰατρικῇ ἀκρόβυστοι γίνονται, *arte quadam medica praeputiati fiunt.* Singulari enim artificio, nec ſine difficultate attrahitur. Non immerito tamen in loco, infra citato §. 18. *mala ars et a pravis hominibus excogitata* dicitur, quoniam hoc artificio abuſi fuerunt Iudaei.

§ 8 Quod in *uſu fuerit Iudais epiſpaſmus*, varie probant *Rabbini*, dicta ſcripturae ſacrae adducentes etiam, ex quibus tamen minus commode ſenſus ſequitur; quemadmodum plura adducit BVXTORFFIVS n). Inter alia ex IEREMIA o) probant, ubi dicitur, quod Deus viſitare velit ſuper omnem

h) BARON. *c. l. A. C. 57. §. 70.*
i) *l. 7. epigr. in Coeliam.*
k) *in Lexic. Philol.*
l) *in Comm. ad Perſ. p. 835.*
m) *Perſ. ſat. V. v. 148.*
n) *Lex. Thalmud. Rabbin. p. 1275.*
o) *Cap. IX, 25.*

mnem מול ערלה, *circumciſum cum praeputio.* Ad quem locum in *Ialkut Prophetarum* p) legitur: מהו מול, *quid eſt* מול? et additur: שהיו מולים ומשכו להם ערלה, *Indicat, quod fuerint circumciſi, et attraxerint ſibi praeputium.* Vbi notandum, quod etiam DRVSIVS, q) vir doctiſſimus, eodem loco ad probandum *epiſpaſmum* utatur; adducens quoque *auctorem lexici*, quod *Aruch* vocatur, in quo quinque recenſentur populi, contra quos locutus ſit *propheta.* Vide tamen more ſuo, h. e. erudite hac de re differentem, et modeſte a DRVSIO diſſentientem P. CVNÆVM. r)

§. 9. De *Achan* refert *Gemara ad Thalmudis* codicem סנהדרין ſ), quod attractum habuerit praeputium; auctoritatem Rabbinorum adducens, dum ait: וא׳ר אלעאי משום ר׳ יהודה בר מספרתא עכן מושך בערלתו *Ait item R. Aleai, verbis R. Iehudae: Achan praeputium ſibi feciſſe.*

§. 10. Ita etiam affirmant, quod vel ob hoc unicum factum a vita aeterna excludatur eiusmodi *recutitus*; quemadmodum R. MOSES MAIMONIDES t) ſcribit: כל המפר בריתו של אברהם אבינו והניח ערלתו או משכה אף על פי שישנו תורה ומעשים טובים אין לו חלק לעולם הבא *Quicunque irritum facit foedus Abrahami, patris noſtri, et relinquit praeputium, aut* ATTRAHIT, *etiamſi legem recipiat, ac bonis operibus abundet, non habet partem in ſeculo aeterno.*

§. 11. Nos ex ipſo *ſacro codice* illud probare connitemur. Ibi enim amanuenſis ille Spiritus Sancti ad *Corinthios* u) ſcribit: Περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω, *circumciſus aliquis vocatus eſt? ne reducat praeputium.* B. LVTHERVS vertit: Iſt iemand

p) *Ialkut. fol. 63. col. 1. ex libro Ielammedenu.*
q) *Praeter. lib. 6. p. 222.*
r) *de Repub. Ebraeor. l. 3. c. 5. p. 315.*
ſ) *Gemar. ad Cod. Sanhedrin, c. 6. §. 2. in Excerpt. Coccei p. 246.*
t) *Hilkot* מילה c. 3. §. 3.
u) *1. Cor. VII, 18.*

iemand beſchnitten, der zeuge keine vorhaut. A qua prohibitione fortaſſe abſtinuiſſet, niſi res frequenter facta fuiſſet. Imo locus perſpicuus ſatis legitur in *libro Maccabaeorum* x), ubi inter impios mores et ſcelerata Iudaeorum flagitia refertur, quod, ubi a Deo defecerint, etiam praeputia ſibi fecerint. Καὶ ᾠκοδόμησαν γυμνάσια ἐν Ἱεροσολύμοις κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐθνῶν, καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας, καὶ ἀπέστησαν ἀπὸ διαθήκης ἁγίας. *Et aedificarunt gymnaſia Hieroſolymis, ſecundum leges gentium, et fecerunt ſibi praeputia, et receſſerunt a teſtamento ſancto.*

§. 12. In quibus locis exponendis interpretes equidem variant. AVGVG. MARLORATVS y) in priori dicto per *praeputium* metonymice intelligit mores et ritus gentiles. Quo etiam collimare videtur DIONYS. CARTHVSIANVS z), qui ita explicat: *Non adducat praeputium,* id eſt, *non compellat ritum gentilem aſſumere, ſeu gentiliter ſe habere.* PAREVS a) vult ac ſi mens Apoſtoli ſit, *quod nemo laborare debeat de attractione praeputii.* Vt adeo quivis teneatur in quocunque ſtatu vocatus permanere, ἐπειδὴ εἰς σημεῖον ἦν δεδομένη, ἀλλ' οὐ δικαιοπράξεως ἔργον; *ſiquidem circumciſio in ſignum data erat, non in opus iuſtitiae,* uti IVSTINVS b) alias de circumciſione loquitur. Aliter adhuc B. HIERONYMVS c) interpretatur, de *coelibatu* ſcilicet; cum enim omnibus coelibatum vellet perſuadere, varia ſcripturae loca adduxit. Hinc ita ſcribit; *Eo tempore, quo vocatus es et credidiſti, ſi circumciſus, h. e. coelebs eras, noli ducere uxorem, id eſt, noli adducere praeputium, ne circumciſionis et pudicitiae libertatem oneres ſarcina nuptiarum.*

§. 13. Vnde et locum Maccabaeorum aliter explicat: *Poteſtatis noſtrae,* inquiens, *non eſt praeputium adducere poſt circum-*

x) *1. Maccab. I, 15.*
y) *Expoſit Eccleſ p. 135,*
z) *Com. in loc. Paul.*
a) *Com. in h. l. p. 418.*
b) *colloq. c. Tryphone.*
c) *in Eſa. c. LII.*

cumciſionem, *iuxta eos*, *qui in Maccabaeorum libro dicuntur ſibi feciſſe praeputia*, *quod de naſcentibus filiis et non de patribus dicitur.* Quod intelligendum ALFONS. SALMERO, *Toletanus* d), cenſet, ſi perſeverent circumcidendo filios. Nam, *in parentibus*, inquit, *iam circumciſis impoſſibile erat adſciſcere praeputium.* Vbi etiam adducit ORIGENEM. e)

§. 14. Verum, cur a litera recedere, et vel metaphoricum, vel metonymicum ſenſum extorquere velimus, non video. Miratur etiam valde ſupra laudatus CVNÆVS, f) quonam modo fugerit HIERONYMVM ſententia PAVLLI; praeſertim cum aliis adhuc auctoritatibus confirmari poſſit. Et explicant quoque nobiscum h. II. *de vera attractione praeputii*, BELLARMINVS, g) CORNEL. a LAPIDE, h) SPONDANVS i), alii. Difficilis quidem fuit operatio, ſed non impoſſibilis. Et fortaſſe a nemine, niſi in medicina verſato, rite explicari poterit.

§. 15. Confirmat autem ulterius locum poſteriorem optimus Iudaicarum antiquitatum promus condus k), ubi de iisdem Iudaeis et ipſe refert: Παρεκάλεσαν ἀυτὸν ἐπιτρέψαι ἀυτοῖς, οἰκοδομῆσαι γυμνάσιον ἐν Ἱεροσολύμοις. συγχωρήσαντος δε καὶ τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν. *Rogaverunt* Antiochum, *ut ſibi permitteret gymnaſium Hieroſolymis exſtruere. Quo impetrato adduxerunt praeputia.* In quem locum vide ſis Clar. DRVSIVM, l) quem hac vice, propter temporis anguſtiam, impetrare non potuimus.

§. 16. His accedit, quod EPIPHANIVS m) clariſſime de hoc *epiſpaſmo* loquatur, ubi de Symmacho quodam, bis circumciſo, verba faciens, inquit: Τὸ δὲ ἔτι τȣ́των χαλεπώτερον,

d) *tom. 14. diſp. 14. p. 98.*
e) *comm. ad Rom. X, 2.*
f) *l. 5. p. 316. et 317.*
g) *2. de N. D. c. 5.*
h) *comm. ſup. h. l. Pauli.*
i) *an. C. 57. §. 21. p. 82.*
k) IOSEPHVS *Ant. Iud. l. 12. c. 6.*
l) *de Haſmon. p. 6.*
m) *de menſ. et pond. p. 538.*

ρον, ὅτι καὶ ἀπὸ περιτομῆς ἀκρόβυστοι γίνονται τέχνῃ τῇ ἰατρικῇ. *Hoc vero adhuc gravius eſt, quod etiam a circumciſione recutiti fiant, arte quadam medica.* Subiungit quoque modum et inſtrumentum adducendi, quae ad cap. 2. reſervavimus.

§. 17. Vnde Ampliſſimus atque Excellentiſſimus Dn. IOH. FRISCHMVTH n) *Lingv. Sacr. Prof. Publ. celeberrimus, patronus et promotor noſter ſingularis*, oppido probabile eſſe arbitratur פריעה, *denudationem*, idcirco introductam eſſe, ne circumciſi facile attraherent praeputium.

§. 18. Nec diffitetur BARONIVS epiſpaſmum apud Iudaeos viguiſſe. Dicit enim o): *Sane quidem apud Iudaeos a pravis hominibus ea vigebat malis artibus excogitata perfidia, ut ad lubitum, cum vellent a patriis legibus ad gentiles deficere, praeputium ſuper circumciſionem inducerent, ſicque ſe Iudaeos eſſe negarent.*

§. 19. An huc etiam iocus Ioſuae p) trahendus, ubi dicitur: *Facito tibi gladiolos acutos et iterando circumcidito filios Iſrael* שנית, *ſecundo*, in medio relinquimus. Poſſet aliquis inde hoc elicere, quod vel attraxerint, vel praeputium נמשכה מאליה *attractum fuerit a ſeipſo*, dum ſecundo circumcidendi. Verum communiter illam circumciſionem de פריעה, id eſt *denudatione*, explicant Iudaei. v. BVXTORF. q) CVNÆVS r) exiſtimat, quod iterata circumciſio ad eos pertineat, qui circumciſi nondum fuere, quia nati in deſerto. *Repetita circumciſio dicitur*, inquit, *quia revocabatur mos, qui in deſuetudinem abierat.*

§. 20. His ita probatis quaerere poſſet aliquis, an etiam alii, qui non Iudaei et tamen circumciſi, epiſpaſmo fuerint uſi? Nam certum eſt, quod etiam *Aegyptii* ſe circumciderint. Vnde *Cynocephalum* quoque religioſe colebant, quia is circumciſus gignitur, teſte ORO APOLLINE, *Niliaco.* ſ) *Ae-*

N

n) *Diſp. de circumciſ. Zipporae c. 2.*
o) *Loc. cit.*
p) *Ioſ. V, 2.*
q) *Synag. Iud. c. 4. p. 102.*
r) *Lib. cit. p. 320.*
ſ) *In Hieroglyph. v. it. Pier. in Hieroglyph.*

Aethiopes quoque etiamnum hodie circumciduntur: de quibus tamen notandum, quod non propterea ſe circumcidant, ac ſi per id vitam aeternam mereantur; ſed, ut teſtentur, ſe filios Abrahami eſſe. Alias ipſi confitentur, quod in Chriſto Ieſu nec circumciſio aliquid valeat, nec praeputium, uti eorum refert declarationem DAMIAN. A GOËS. t) Ipſe quoque *Claudius*, *rex Aethiopum* u), proteſtatur, quod eam circumciſionem non habeant, ſicut Iudaei. *Verum circumciſio*, inquit, *eſt apud nos ſecundum conſuetudinem regionis; ſicut inciſio faciei in Aethiopia et Nubia, et ſicut perforatio auris apud Indos. Id quod facimus, non (fit) ad obſervandas leges Moſaicas; ſed tantum propter morem humanum.* Imo IOB. LVDOLPHVS, x) circumciſionem apud eos ritum ſacrum non eſſe, probat inde, quod a muliercula, arbitris remotis, perficiatur. Hic ſi quid dicendum, dicimus non dubitare nos, quod etiam alii hoc epiſpaſmo uti potuerint; voluiſſe tamen potiſſimum de Iudaico ſermonem hic facere.

CAPVT II.

Connexio. Πόσθη et ἀκροπόσθιον quomodo differant. Quid glans. ἀκροπόσθιον abſcinditur; Ægyptiis nimis excreſcit. Modus circumcidendi et denudandi. Cultelli circumciſionis an lapidei? Modus adducendi duplex. 1. Sola attractione manuum, vel inſtrumenti ſimul 2. etiam ſutura, ex *Epiphanio*. Quomodo ſutura fiat. Quid σπαθιστὴρ et σπαστήρ. Quodmodo attrahatur, ex *Galeno* et *Fallopio* declaratur. Obiectio ſolvitur. Autor epiſpaſmi, an Eſau? an Adam? Cauſa impulſiva apoſtaſia. Aliae quoque in Ephebiis, proſtibulis, συνουσιασμῷ.

§. I.

Vidimus apud veteres *epiſpaſmum* in uſu fuiſſe. Itaque non immerito modus adducendi exponendus venit, quem

t) *De Aethiop. moribus in Hiſp. illuſtr. tom. 2. p. 1307.*

u) *In Confeſſ. fidei edita a* MICHAEL. WANSLEBIO *cum Lexic. Arabico Ludolphi.*

x) *In Not. ad Confeſſion. Claud.*

quem pro impoſſibili nonnulli habuerunt. Neque ſine cauſa: quandoquidem aliqua pars abſciſſa, et reliqua corrugata magno labore attrahitur.

§. 2. Vt autem res eo melius declarari poſſit, prius, quid ſit praeputium, et modus circumcidendi venit perpendendus. *Praeputium* ergo, utpote *materia epiſpaſmi*, eſt *cutis, qua obtegitur penis.* Ita enim Latini totam illam cutem, tum quae glandem, tum quae colem tègit, *praeputium* vocant. Graeci tamen diſtingunt inter *πόσθην*, *ἀκροβυστίαν* et *ἀκροποσθίαν*. Per *πόσθην* proprie intelligunt *totam cutem*, per *ἀκροποσθίαν* autem et *ἀκροβυστίαν eminentiam et ſummitatem praeputii*, quae ſupra glandem pendet et prominet. Vnde POLLVX a) ait: Τὸδ' ἐπ' αὐτῇ (βαλάνῳ) δέρμα πόσθη, ὡς ἀκροποσθία καὶ ἀκροπόσθιον τὸ ποσθῆς πρȢχον. *Glandis ipſius cutis, praeputium, ſicut praeputii eminentia ἀκροποσθία et ἀκροπόσθιον vocatur.* Quid autem *glans* ſit, notum erit; ſcilicet *τὸ ἄκρον σαρκῶδες καὶ λεῖον, ὡς εἰπεῖν, ἶσον, καλεῖται βάλανος; ſummum* (ſcil. penis) *carne conſtans levi et, ut ita dicam, aequali, vocatur glans*, ut inquit ARISTOTELES b), ſeu, ut POLLVX: c) *βάλανος τὸ τȢ καυλȢ ἄκρον, extremitas penis glans dicitur.*

§. 3. Hoc *ἀκροπόσθιον*, vel *ἀκροβυστία*, (ita enim vertitur Ebraeorum ערלה) in Iudaeis abſcindebatur. Vnde et LINDANVS d) *praeputatur*, inquit, *τὸ πρȢχον tantum, hoc eſt, eminentior illa ſupra glandem pars, quae in rugas multas complicata cernitur.* In *Ægyptiorum Arabumque* puerulis adeo immodice excreſcit, plurimumque creſcendo attenuatur, ut non minus ob periphymoſis metum, quam ex religionis praeſcripto, partem eius abſcindere cogantur, teſte VESLINGIO. e)

§. 4. Vt modus circumcidendi prius declaretur, ſciendum, quod veteres ita procedebant. Circumciſores, nudi pueri penem contrectantes, ante omnia manibus, ut glans recederet, cogebant; ne forte aliquod de glande praeciderctur.

 Et

a) *Lib. 2. ὀνομ. 4. t. 36.*
b) *Lib. I, hiſt. anim. cap. 13.*
c) *Loco cit.*
d) *In Medic. Phyſiolog. cap. VII. pag. 289*
e) *Syntagm. Anatom. p. 66.*

Et ita ſimul praeputium ſuper glandem producebant. Poſtea particulam illam, (quam, ne doleat, fricare prius ſolebant) ſupra glandem productam, cultello praeſcindebant, ut glans nudata permaneret. Qui actus erat eſſentialis. Poſteriores autem addiderunt deinceps פריעה, ſeu *denudationem*. SCHMIDIVS f) exiſtimat, cum Chriſtianis eam incepiſſe, ne poſſent amplius adducere praeputium Iudaei, Chriſtiani facti. Disrumpebant autem membranam tenuem, quae eſt infra pelliculam, ungue, et retrorſum praeputium trahebant, ut caput membri penitus denudaretur. Vbi neceſſum eſt, ut aliqua praeputii pars circa glandem manſerit, alia ad pubem ſeceſſerit.

§. 5. Plura de circumciſione non addam, quia haec ad ſcopum meum ſufficiunt; vide ſuſius BVXTORFIVM. g) Vnicum tamen non poſſum, quin, ὡς ἐν παρόδῳ, attingam. *De cultello* ſcilicet *circumciſionis* lis eſt inter eruditos, *an lapideus fuerit, nec ne?* Multi in loco *Ioſuae*, ſupra h) adducto, *gladiolos ſaxeos*, exponunt per *acutos*. Alii tamen vertunt per *acutam petram.* Qui de ſilicibus et lapidibus intelligendum putant, eo ſuam palliare poſſunt ſententiam, quod lapides cumprimis in amputandis teſtibus et pene adhibebantur, quia ſalubris haec amputatio. Nam, quod PLINIVS i) de *Samia teſta* dicit, quod *aliter citra perniciem*, quam cum illa, *virilia non amputentur*, id de omnibus lapidibus intelligi quoque poteſt. Quod enim lapides, propter refrigerandi atque abſtergendi virtutes, non modo non exaſperent, verum leniant quoque et ſummopere mitigent. teſtis eſt GALENVS. k) Imoque, quod magis eſt, tales cultelli, e ſilice expolito ad circumciſionem ab incolis terrae occidentalis facti, olim inter D. IOH. BAPTISTÆ LAVANNÆ antiquitatum monumenta ſervabantur; quos deſcripſit et depinxit *Laurent. Ramirez de Prado* l), qui et ex eodem LAVANNA aliisque ſcriptoribus refert, in

f) *De circumciſ. part. 3. c. 5. p. 377.*
g) *In Synag. Iudaic. p. 101. c. 4.*
h) *Ioſ. V, 2.*
i) *Hiſt. Nat. 35. c. 12.*
k) *L. 9. de ſimplic. medic.*
l) *In Pentecontarch. c. 4. p. 62.*

in regione Caphraria, iuxta Caput Bonae Spei, eſſe Æthiopes, qui gladiis ſiliceis ſe circumcidant. Vide ſis omnino, quae ille prolixe hac de re diſputat.

§. 6. His ita declaratis expeditius de *modo adducendi* diſſerere poterimus. Quandoquidem enim, propter partem praeputii abſciſſam, glans fuit denudata, neceſſe fuit, ut iterum tegeretur. Atque, pro duplici intentione, dupliciter potuit induci; vel. per *ſolam attractionem*, vel etiam *adhibitis ſuturis.*

§. 7. Qui propter *decorem* ſaltim, et ut modo glans obtegeretur, ne ludibrio eſſent Graecis, ſi forte nudi conſpicerentur, (de quo §. 10.) *epiſpaſmum* adhibuerunt, *ſola fere et ſaepe repetita praeputii attractione* opportunam magnitudinem ſibi potuerunt comparare; cumprimis apud veteres Iudaeos, ubi nondum denudatio adhibebatur; quemadmodum nonnullis etiam ſine attractione praeputium iterum recurrebat ultra glandem. Qui autem ſtudio attrahebant, faciebant vel *manibus* adiuti ſaltim, quod ex verbis *R. Salomonis*, m) quamvis non ita clare, quodammodo tamen aliquis ſuſpicari poſſet. Dicit enim: משך את עור אמתו תמיד עד שנישתרבבה וכסתה את ראש הגיד שלא יראה מהול *Frequenter attrahendo cutim pudendi effecerat, ut promineret et glandem cooperiret, atque incircumciſo ſimilis eſſet*; uti apud COCCEIVM n) vertitur.

§. 8. Vel *inſtrumento* quodam, quemadmodum GALENVS o) curationem inſtituit. Πολλάκις μόνῃ τῇ τάσει, inquit, τὸ δέον εἰργασάμην, ἵνα χάρτου μαλακὴν καὶ εὔτονον ἐν κύκλῳ περιελίττων ὑποκεχρισμένῳ τῷ δέρματι κόμεως. *Saepe ſola tenſione debitum modum* praeputio *reddidi*, *membranulam mollem firmamque cuti*, *gummi illitae*, *circumvolvens.* Id quod etiamſi de naturali brevitate praeputii dicatur, nihilominus tamen etiam in iis uſurpari poterit, quibus propter amputatio-

m) *In Gloſſa ſup. loc. Sanhedrin. ſupra cit. p. 44. 1.*
n) *Comment in cod. Sanhedrin. loc. ſupra citat. p. 249.*
o) *In m. m. lib. XIV, c. 16.*

tionem deficit. Quemadmodum etiam VIDVS VIDII p) *ſolam attractionem adhibebat, ſi aliqua pars vel ob putredinem, vel naturae vitium deſiderabatur.* Vbi tamen notandum, quod facilius perficiatur operatio, ſi nondum confirmata fuerit aetas. Quomodo autem hoc inſtrumento attrahatur, infra §. 13. manifeſtabitur.

§. 9. Vere excelſus auctor, A. CORNELIVS CELSVS, q) de glande colis tegenda verba faciens, ex profeſſo quaſi de *circumciſis* quoque agit, quomodo attrahere poſſint. Cuius verba, quoniam omnes, quos vidi, iis adſertionem ſuam ſuperſtruunt, verbotenus placuit adducere. *In eo, qui circumciſus eſt*, inquit, *ſub circulo glandis ſcalpello diducenda cutis ab interiore cole eſt. Non ita dolet, quia, ſummo ſoluto, deduci deorſum usque ad pubem manu poteſt; neque ideo ſanguis profluit. Reſoluta autem cutis rurſus extenditur ultra glandem: tum multa frigida aqua fovetur; emplaſtroque circumdatur, quod valenter inflammationem reprimat, proximisque diebus abſtinere, donec prope a fame victus ſit, ne forte eam partem ſacietas excitet. Vbi iam ſine inflammatione eſt, deligari debet a pube usque circulum: ſuper glandem autem adverſo emplaſtro impoſito induci. Sic enim fit, ut inferior pars glutinetur: ſuperior ita ſaneſcat, ne inhaereat.* Ita CELSVS modum deſcribit.

§. 10. Alii autem, quibus illud, quod §. 20. et 21. dicetur, curae cordique fuit, non contenti erant ſola attractione; praeſertim poſt inventam denudationem, ubi difficulter attrahebatur. Hinc, ut eo firmius eſſet, ſuturas quoque admittebant inſuper; ſi quidem vera dicit EPIPHANIVS, r) ἀκρόβυστοι γίνονται, inquiens, *τέχνῃ τῇ ἰατρικῇ διὰ καλουμένου σπαθιστῆρος τὴν τῶν μελῶν ὑποδερματίδα ὑποσπαθισθέντες, ῥαφέντες, καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες ἀκροβυστίαν αὐτοῖς ἀποτελοῦσιν. Praeputiati fiunt arte quadam medica per σπαθιστῆρα, id eſt inſtrumentum, attractorium appellatum, internam membri cuticulam attrahi ſinentes, ſutu-*

p) *De Curat. memb. lib. II. p. 949.*
q) *Lib. VII. cap. 25. de arte medica.*
r) *Loco citato.*

ſuturamque admittentes, et glutinatoriis circumdatis praeputium rurſus ſuperinducunt. Eadem fere verba habet quoque MERCVRIALIS, f) quae propterea adſcribere noluimus,

§. 11. Nondum tamen adeo manifeſte liquet exinde, quomodo attraxerint, aut ſuturas fecerint. Clarius e ſequentibus pateſcet. Suturam enim infra glandem, ſeu coronam penis factam eſſe exſtimamus, ita quidem, ſi illam cutis particulam, quae cum κυνοδεσμίῳ coronae glandis adhaeret, et poſt ſectionem, uti §. 4. dictum, remanſit, verſus pubem paullo deduxerint: inferiorem autem praeputii partem, quae poſt denudationem corrugata, et circa pubem collecta fuit, verſus glandem adduxerint. Tunc enim excoriata utrinque cute, et adductis coniunctisque oris, ita tamen, ut calloſum prius detrahatur, mox utramque per filum ſericum conſuere et cum emplaſtro agglutinare potuerunt. Quae ſane difficilis fuit operatio.

§. 12. Conſuto itaque et agglutinato praeputio, eadem ratione et facilitate potuit ſupra glandem produci, quemadmodum fit a Chirurgis, ſi naturaliter breve eſt praeputium, praeter ſciſſuram. Per inſtrumentum ſcilicet, quod valide attrahat. EPIPHANIVS t) vocat *Spathiſterem*, de quo tamen praeterea nihil invenire potuimus, anxii licet in inquirendo. *Sixtus Senenſis* u) exiſtimat *ſpaſterem* eſſe vocandum potius; reſpicit enim ad verbum σπάω. Sed neque ſic tamen, quale fuerit, colligitur; niſi quod inſtrumentum attractorium fuerit. STEPHANVS x) paullo proprius accedit, dum dicit, ferro attraxiſſe, ſed praeterea tamen nihil addit.

§. 13. GALENVS z) charta quadam, ſeu membranula chartacea utebatur. Nimirum attrahebat praeputium ſupra glandem, et gummi illinibat, poſtea χαρτίον ἐν κύκλῳ, *chartam circumducebat. Siquidem et ſiccatur cito, et ſine dolore adſtrin-*

f) *Varior. lect. lib. I. c. 19.*
t) *Loc. cit.*
u) *Lib. IV. ſymmach.*
x) *Lex Graec. ſub verbo* σπάω.
z) *Loc. citat.*

ſtringit. Qualis membrana eligenda, videatur FALLOPPIVS a). Attracto ita praeputio et membranula agglutinata, non poterat praeputium recurrere, cum exſiccaretur. Vt enim melius attrahatur ſupponit ſolenarium, et exiſtimo etiam membranam eidem alligari. Προϋποτιθέναι δὲ, inquit, χρὴ τȣ̃ δέρματος τῆς ποσθῆς ἐκ τῶν ἔνδον μερῶν ϛρογγύλον τι σύμμετρον ὃ καὶ μετὰ τὸ κολλῆσαι τὴν ἵνα ῥαδίως ἐξαιρήσεις. *Porro cuti praeputii ex interna parte rotundum aliquid ac mediocre ſupponi prius oportebit: quod videlicet, poſteaquam agglutinata membranula eſt, facile eximas.* Illud autem, quod ſupponendum poſtea, vocat σωληνάριον, *ſolenarium.* Ἐν αὐτῷ δὲ τῷ περιβάλλειν τε τῷ δέρματι καὶ κατακολλᾷν αὐτὸ, προϋποκεῖσθαι χρὴ τὸ σωληνάριον, *ubi circumdabitur cuti, et agglutinabitur, ſubtus imponi ſolenarium prius oportebit.* Fiſtula ſcilicet, ſive canalis, ut urina poſſit excerni.

§. 14. Alii ſolebant producere adhuc alio modo, teſte *Falloppio.* b) Accipiebant fiſtulam, adponebant ad glandem, et ſupra fiſtulam trahebant praeputium, et alligabant, et imponebant medicamentum ex thapſia. Meminit eiusdem GALENVS quoque. *Eorum, qui thapſia praeputium adducunt, quidam rotundum id e plumbo fecerunt, veluti ſolenarium quoddam. Mox illi extrinſecus praeputii cutem circumtendunt, ac molli loro deligant.* Quae deligatio moleſta eſt, et dolorem non levem parit.

§. 15. Hic Cynthius aurem vellicat, illud HIPPOCRATIS inſuſurrando: c) Νεῦρον διακοπὲν ἢ γνάθȣ τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη, ȣ̓ συμφύεται. *Praeciſus nervus, aut quod in gena tenue eſt, aut praeputium non coaleſcit.* Id quod etiam repetitur alibi. d) Nec diſſentit GALENVS. e) Salvari tamen poterit EPIPHANIVS, ſi dicatur, veteres reſpexiſſe ad eam hypotheſin, quod praeputium ſit pars ſpermatica, quam negant poſſe uniri. Quae opinio cum, iuxta HARVEI f) ſententiam, hodie

a) *Tom. 3. tract. 2. c. 9.*
b) *Loc. citat.*
c) *504. Coac. praenot. ſect. 2.*
d) *Aph. 19. lib. VI. et lib. I. de morb.*
e) *m. m. lib. III. c. 1.*
f) *De Generat. animal.*

die explodatur, cum omnes partes ex colliquamento cryſtallino oriantur, etiam ea ſuperſtructa opinio labefactabitur. Poteſt tamen etiam ita explicari, ac ſi difficulter coaleſcat; vel etiam, quod non coaleſcat per πρῶτον σκοπὸν, bene tamen per δεύτερον σκοπὸν, mediante poro. Prout etiam in aliis partibus ſimilaribus fit, v. g. oſſe &c. Vid. *excellentiſſ. Dn. D. Ioh. Theod. Schenckium* f), *patronum et praeceptorem noſtrum parentis loco venerandum.*

§. 16. Sed antequam portum reſpiciamus, cauſam efficientem, ſive *auctorem epiſpaſmi* ut exponamus, neceſſum erit. EPIPHANIVS refert, quod nonnulli *Eſavum* conſtituant. *Ταύτην δὲ τὴν παράδοσιν τῆς κακοδαίμονος ἐννοίας, φασὶ τὸν Ἡσαῦ τὸν ἀδελφὸν τȣ Ἰακὼβ, εὑρηκέναι πρὸς ἀπαρνησιθείαν, καὶ πρὸς ἀφανισμὸν τȣ͂ τῶν πατέρων αὐτȣ͂ χαρακτῆρος.* Verum, unde haec habeat, hactenus reperire non potuimus. Neque adeo probabile videtur.

§. 17. Alii plane inventum hoc referunt ad ipſum *Adamum*, quia ſcilicet non datur ultra. Ita enim in *Ialkut* g) *Adamo* tribuitur id vitii, hisce verbis: אדם הראשון משוך בערלתו היה *Adam primus attractum habuit praeputium.* Exiſtimabant enim, quod *Adam, Moſes et David* ſine praeputio nati ſint; quemadmodum de Adamo itidem refert *Ialkut* h): אדם הראשון נברא מהול *Adam primus conditus fuit ſine praeputio* v. Cl. HACKSPAN, i) Sed neque hoc, niſi pro fabula, habendum.

§. 18. Exiſtimamus autem a medico hoc artificium fortaſſis inventum fuiſſe, ut, ſi talis caſus accideret, cui praeputium admodum breve, attrahi poſſet, ne quid arti videatur impoſſibile. Siquidem apud Graecos turpiſſimum erat, circumciſum eſſe. v. FALOPPIVM §. 19. *citatum.* Poſtea vero facile potuerunt Iudaei *Apoſtatae* id imitari.

O §. 19.

f) *Exerc. anat. 2. lib. I. ſect. 1. c. 29. p. 154.*
g) *Ad c. VI, 7. Hoſeae.*
h) *Ad Gen. p. 5. col. 1.*
i) *In Nizachon R. Lipmanni c. 3. p. 475.*

§. 19. Atque ii in eum *finem* adhibebant, ut, a religione deficientes, praeputiati fierent. Quemadmodum enim *circumciſio* ſymbolum erat *religionis:* ita *epiſpaſmus apoſtaſiae.* Vnde etiam iſtud fulmen et maledictio *de non liberandis e fovea* ad eos cumprimis ſpectat, teſte SCHMIDIO k), quia, qui congrediebatur cum gentili et rurſus attrahebat praeputium, erat Apoſtata, nec liberari poterat e fovea.

§. 20. Namque cum defeciſſent, et poſtea circumciſi in Ephebiis et palaeſtris, ubi nudi potiſſimum exercitia tractabant, conſpicerentur, ludibrio erant Graecis. Siquidem circumciſio erat πρᾶγμα γελώμενον παρὰ πολλοῖς, teſte, PHILONE; ſive, ut HVGO GROTIVS l) exprimit, actio, *quae ab externis omnibus deridebatur.* Quo ſpectare videtur illud IOSEPHI m), praeputium adduxerunt, ὡς ἂν εἶεν καὶ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες, *ut nudi quoque Graeci eſſent.*

§. 21. Id quod etiam DANHAVERVS n) refert *ad pathicorum iuvenum proſtibula*, ut in iis quoque Graeci eſſent: ſive cum Sodomiticis indulgerent libidinibus; ſive cum nefariam exercerent mollitiem, h. e. ut MARTIALIS o) loquitur, Thalaſſionem manibus libidinoſis inducere vellent.

§. 22. Fortaſſis etiam, ut vel ipſi maiorem voluptatem in συνουσιασμῷ perſentirent, tum lubricitando, ut putat FALOPPIVS p), tum operiendo et aperiendo, ut vult LINDANVS. q) Vel ut Graecis mulieribus et ſcortis eo magis grati eſſent. Nam Iudaei, propter praeputium abſciſſum, minus gratioſi uxoribus; teſte RIOLANO r), ex mente FRAGOSII *in chirurgia Hiſpanica.* Quarum libidini explendae Chriſtianorum congreſſus ideo appetibilior habetur. Haec ita ſufficiant.

ANDREAE

k) *De Circumciſ. part. 3. c. 5. p. 378.*
l) *De verit. relig. Chriſt. 15. et 147.*
m) *Lib. XII, c. 6.*
n) Μυστηριοσοφ *4. ſect. 2. artic. 1.*
o) *Lib. XII. Epigr. 95.*
p) *Loc. citat.*
q) *In Phyſ. Med. p. c.*
r) *In anthropog. lib. I. & c. 31. p. 158.*

)o(

ANDREAE RIVINI
ΔΙΑΨΗΦΗΣΙΣ
ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΤΟΥ
ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΥ
ΙΑΤΡΕΙΑΣ ΠΟΛΙΤΙΚΗΣ
IN ACADEMIA LIPSIENSI
DISCEPTATIONI SVBMISSA

RESPONDENTE

IOHANNE IVSTO OLDECOPIO

AD D. XXX. Decembris CIↃ IↃ CLIV.

I. N. S. T. A.

PROOEMIVM, ET EIVS SVMMARIVM.

Duo verſus *Ovidii* 1. conciliantur. 2. Inter invidum et invidioſum diſtinguitur. 3. Varia lectio apud *Statium*. 4. Affectus ingenii humani in laude et felicitate aliena. 5. Excelſa maxime invidiae ſubiacent. 6. Vitium obtrectandi et invidendi non ſolum plebeios, ſed quandoque magnos etiam viros occupat. 7. Bonus nemini invidet. 8. Æmulatio approbatur, et invidia reiicitur, quae plebeiis animis perſuaſit, ut viros excellentes e medio tollere ament, unde ὀςρακισμὸς καὶ πεταλισμός.

I.

Quod ingenioſiſſime *ingenioſiſſimus poetarum* a), NASO *de Ponto lib. et eleg. III. v. 101.* ſcripſerat:

Livor, iners vitium, mores non exit in altos b):

id diſſidere ac repugnare videtur ei, quod *lib. I. de remed. amor. v. 369.* idem tradiderat:

Summa petit livor, perflant altiſſima venti.

Videtur, inquam, repugnare alterum alteri, revera tamen non repugnat, conciliatore quoque IVSTO LIPSIO, *Centur. 1. epiſt. 41. Apud humiles duntaxat animos habitat et in altos dirigitur livida illa dea.* 2. Priori ergo verſu de *ſubiecto* invidiae, poſteriori de *obiecto* eiusdem, ut in ſcholis loquimur, cecinit *Pelignus*

a) VOSSIVS *de rat. ſtud. p. 32.*
b) *Confer* VOSSIVM *Inſtit. Rhetor. lib. II. c. 12. p. 275. 276.*

vates, iſto de *invido*, illo de *invidioſo.* Quos PLAVTVS *in Milite Act. III. ſc. II. v.* 26. hoc unico verſiculo compegit:

Qui invident, egent, illi, quibus invidetur, rem habent.

Breviſſime quoque utrumque conſtrinxit alter elegantiſſimus poeta, STATIVS, *Thebaid. lib. I. v.* 171.

Atque aliquis, cui mens humili laeſiſſe veneno
Summa, nec impoſitos unquam cervice volenti
Ferre duces.

3. Quod LACTANTIVS PLACIADES, geminam lectionem aſſerens, ita enarrabat: *Atque aliquis, cui mens humilis:) Vtique unus ex plebe,* cui *erat* mens, *ſeu votum, vel modice laedere, id eſt, invidere potentibus et maledictionibus carpere meliores: Vel* cui mos *erat, in dignitate regia poſitos maleloquii veneno perſtringere, et impoſitum iugum ſervitutis indomita cervice deiicere.* 4. Nos, poſteriori vet. cod. ſcripturae, ad rem praeſentem quam maxime facienti, faventes, ita in hac hominum vita comparatum eſſe novimus, ut, cum ex eodem luto omnes quidem creati ſimus, verum maxima ſit animorum et fortunarum disparitas, aequales tamen et libertate et coeteris externis plerique eſſe diſcupiamus, licet dotibus inferiores. Atque inde *eatenus* ἄνεκτοι οἱ ἔπαινοι, *intolerabiles ſunt, quae aliis tribuuntur, laudes, quatenus unusquisque ſe quoque aliquid eorum, quae audivit, facere poſſe putat,* τῷ δὲ ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσι, *ſed cum exſuperantiae ipſorum invident, tunc vero non credunt*: quemadmodum quidem THVCYDIDES *L. XI. p.* 121. *in orat. funebri* praeclare diſſeruit. Et CICERO *de Oratore* §. 66. *Invident homines maxime paribus, aut inferioribus, cum ſe relictos ſentiunt, illos autem dolent evolaſſe:* prout tales viros, virtute, ſapientia et felicitate excellentes, impedit livor, praecipue ſi ſint novi c) ho-

c) *Vid.* ZEVECOT. *Obſervat in Flor. l. 2. c. 2. p. 249. De novis hominibus vero optima tradit Clariſſ.* BOECLERVS, *notis in Velleium lib.* II. *c. 128.* §. *1.*

homines. 5. Hos autem, quod etiam SALVSTIVS *in bello Catilin: c.* 23. innuit, non tam carpit invidia ipſa, quam ſtimulatum hac et incenſum ingenium eorum, qui ſubiecti ſunt. Quamvis vero verius, quod *vir politiſſime eloquens, et brevitatis eruditiſſimae hiſtoricus* d), VELLEIVS PATERCVLVS lib. I. c. 9. §. 6. ſcripſit: *Aſſidua eminentis fortunae comes invidia, altiſſimisque* e) *adhaeret.* Et iterum *lib. II. c.* 40. §. 5. *Nunquam eminentia invidia carent.* 6. Vt quaſi hoc proprium plebis ſit vitium, f) ceu apud PETRONIVM Eumolpus *noluit habere bona, niſi quibus populus invidiſſet*, id eſt excellentiſſima. At vero et ſummi quandoque viri malevolentia in coeteros ſuffunduntur, atque invidentiae ſubditi ſunt. *Οἱ μεγάλα πράττοντες, καὶ εὐτυχοῦντες φθονεροί εἰσιν. Πάντας γὰρ οἴονται τὰ αὐτῶν φέρειν*, infit ARISTOTELES *lib. II. Rhetor. c.* 26. Nam qui omnibus bonis abundant, ſoli abundare volunt, et, quae aliis contingunt, ſibi putant eripi et quodammo extorqueri, perpetuoque timent, ne aliorum res praeclare geſtae ſuam gloriam obſcurent;

Nec quenquam iam ferre poteſt Caeſarve priorem,
Pompeiusve parem.

ut bene ex LVCANO *Marioragius ad l. c.* dixit. Idem vidit et ARISTIDES, Adrianenſis, quando *Tom.* 3. *Orat.* 2. *p.* 250.

---

d) BOECLER. *Orat. XV. pr.*

e) *Confer Herodot. Thalia c. XI. Cic. lib. II. de Oratore §. 66. Corn. Nep. in Chabria. Liv. l. 45. c. 35. et lib. VIII. c. 31. Curt. lib. IV. c 5. ibique Loccen. Senec. epiſt. 74 Tacit. lib. II. Annal. c. 20. Phaedrum p. 70. Plus vetuſtis et c. ibique Rittershuſ. in not. in Velleium lib. II. c. 13. §. 4. Volaterran. lib XXXI. p. 1166. Heinſ Orat. 2. p. 51. ſq. Boecler. lib. comment. in Cornel. Nep. p. 63 ſq. Zevecot. l. c. Berſman. Poemat. lib. I. v. 17. Drexel. D ouele cap. 18. &c. Bernegger. in Titum Suetonii, cap. I nota. f.*

f) *Confer Ariſtot lib. IV. Politic. c. 4 Diodor. Sic. lib. XIX. p. 711. Cic. V. Tuſcul f Caſpar. Alexandri Diſſertat. de Rep. libera ab interitu vindicanda §. 2.*

250. inquit: Τȣ̀ς γὰρ ȣ̆τως, ὡς λέγω, πράττοντας, ἀνάγκη πλεῖϛον ἐφ᾽ ἀυτοῖς ὀῖμαι φρονεῖν, καὶ ποῤῥωτάτω μὲν ταπεινότητος, ἐγγυτάτω δὲ ἀυθαδείας εἶναι, *id eſt*, ut GVILIELMVS CANTERVS vertit: *Qui autem ea erant fortuna, ii neceſſario plurimum ſibi tribuebant, et ut ab humilitate remotiſſimi, ita confidentiae erant proximi.* Et ſane negari non poterit, eum, qui maxime excellit, maxime quoque principem omnium videri, vel potius ſolum videri cupere. Adeo ut vere dixerit *omnium eruditorum eloquentiſſimus, et eloquentium eruditiſſimus* g), CICERO lib. I. offic. c. 8. *Eſt autem in hoc genere moleſtum, quod in maximis animis, ſplendidiſſimis ingeniis, plerumque exiſtunt honoris, imperii, potentiae, gloriae cupiditates: Quo magis cavendum eſt, ne quid in eo genere peccetur.* De *Adriano*, imperatore, legimus, quod acerrima invidia omnes perſecutus ſit, qui aliqua re excellerent, multosque artifices depreſſerit, multos, iuxta SVIDAM, occiderit. *Dionyſius* item *maior.* iuxta DIODOR. SIC. *L. XV. c.* 7. et PLVTARCHVM *de animi tranquillitate*, non contentus, omnium ea tempeſtate Tyrannorum quod eſſet maximus, irritato arque exaſperato animo, quod Philoxenum poetam canendo, Platonem diſſerendo non ſuperaret, alterum in lautumias coniecit, alterum in Æginam vendidit. Atque inde *hiſtoricorum Latini nominis facile princeps*, h) LIVIVS, *lib. XXXV. c.* 13. rectiſſime infit: *Nulla ingenia tam prona ad invidiam ſunt, quam eorum, qui genus ac fortunam ſuam animis non aequant, quia ſpectatam in vulgus virtutem et bonum alienum oderunt.* Vid. IVSTVS REIFFENBERG *in monitis politicis. p.* 99. Sed haec ipſa ab imbecillitate, merito ſuo inferiore, et quaſi plebeia, atque vulgari profecta iudicantur. 7. Alias namque verum eſt id, quod CICERO *Philippica X. pr.* et ſemper ſenſit: NEMINEM ALTERIVS, QVI SVÆ CONFIDERET, VIRTVTI INVIDERE. Quo nomine quoque Caeſar *Antoninus*, (ut eſt *in eius oratione funebri*,

g) *Longol. lib. IV. epiſt.* 29.
h) *Iac. Middendorpius hoc. eius elogium in Praetorio Patavino reperiri ait, lib. IV. de Acad. p.* 62.

nebri, apud DIONEM CASSIVM *lib. XLIV. c.* 295.) neque ſplendori ullius invidit, augeſcentemve depreſſit; ſed gaviſus eſt, ſi quamplurimos ſibi aequaret, quod eorum dignitatem, potentiam, decusque etiam ad ſe, aliqua ex parte, rediſe exiſtimaret. 8. Quemadmodum igitur zelum et *aemulationem, primum bene incipientem, ſed in invidiam latenter evadentem,* (ut MACROBIVS vocat *lib. II. in ſomn. Scip. c.* 10.) non laudamus; prout *invidia fraudem, et calumniam, et odium gignit, cum ipſa procreetur ab aemulatione;* veluti MANVEL, imperator, *praecepto* 23. *educationis regiae* hanc γενεαλογίαν tradidit: ita aemulationem, recte ſe habentem, nimium quantum ab invidia abeſſe cenſemus. Probus enim invidet nemini, cum meliores et praeſtantiores ſemper aemuletur; cum *in republica quisque certat de virtute absque invidia,* ut ait PLATO *lib. V. de legibus, pag.* 841. Qui divinus philoſophus ſophiſtis non invidit; ſed aemulatorium ſaltem in illos animum iccirco geſſit, quod obambulabant, et magnas parvasque civitates pariter demulcebant, ad Orphei ac Thamyrae modum. Vt invideret autem, tantum abfuit, quantum aemulatio ab invidia. Nam invidiam malitioſus ac perverſus animus nutrit: aemulatio vero et φιλοτιμία ſplendidos excitat; i) et invidet quisquam his, quae ipſe conſequi non poteſt. Quibus vero melior, aut non peior reddatur, haec aemulatur, teſtibus PHILOSTRATO *epiſt.* 13. *p.* 382. et ARISTOTELE *lib. II. Rhetor. c.* 27. Invido autem ex animo profectum eſt olim, ut in populari ſtatu degentes, quos cum lippis comparare ſolemus, qui ſplendorem ſolis ſuſtinere nequeant, illos viros, quos ad maxima tentanda ſummum atque excellens armavit ingenium, ferre non potuerint, quod ſuis quodammodo officerent luminibus, et vel taciti inertiam ipſis exprobrarent. Paci igitur ſuae conſultum credentes, ſi viros virtute, dignitate, et potentia, atque opibus

 floren-

i) *Vid.* ARISTOTELES *Rhetor. lib. II. c.* 25. *ibique* IOH. STVRMIVS *in ſcholiis.*

florentiſſimos a ſe removerent; unde apud Athenienſes ΟΣΤΡΑΚΙΣΜΟΝ, apud Syracuſanos ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΝ inſtituerunt. Sed, quia hoc ipſum inſtitutum omnem aemulationem honeſtam inhibuit, tanto minus inventoribus ſuis atque reip. profuit, brevique tempore duravit, ut cauſſae minus ſit, cur quidam politici, idololatrae et incruſtatores ſtatus perverſi, tale quoddam medium et remedium excellentiſſimorum hominum potentiam infringendi ab orco quaſi revocandum crediderint et tradiderint. Illis SENECÆ iſtud 1. de Ira c. 16. crebro in ore eſt: *Civitati curandae adhibitus pro cuiusque morbo medicinam quaerat: hunc ſanet verecundia, hunc PEREGRINATIO, hunc dolor, hunc egeſtas, hunc ferrum.* Sed iſti norint, *peritos ſcientesque medicos tunc plus de arte ciere admirationis, non cum ferro et igne, in belli modum, vim mali domant; ſed, cum levibus pharmacis affectae parti adulantes, aegrum ſcite perſanant, et artis ſeveriora praecepta cohibent: miti interim ac familiari quodam victu, dolore ſopito, aegrotum a morbo liberum oſtendunt*; quemadmodum praeclare ad iſtum modum diſſeruit BASILIVS SELEVC. Orat. XXX. pr. Atque *talis medicina animae, quae ius et iuſtitia cognominatur, omnium artium maxima* PLVTARCHO *de ſera numinis vindicta* praedicatur. Nos vero, cum quaedam de hoc civili quidem, ſed maxime incivili remedio, quod vocant ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΝ, non inutili, uti ſperamus, ſtudio, in optimorum ſcriptorum monumentis obſervaverimus, eaque in medium proferre ſit animus, dabimus operam, ut, quod eius fieri potuerit, breviter et dilucide haec ipſa exponamus. Et quidem ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΝ tam *ex philologia*, quam *ex philoſophia* conſiderabimus. *Ex illa*, quae pertinere videbuntur ad litteraturam tum ὀριστικὴν, tum ἱστορικὴν, examinabimus, eoque ipſo urbem Syracuſas, et eius ſtatum atque remp. perpendemus, et poſtremo cognatas ſpecies τοῦ πεταλισμοῦ breviter percurremus: *ex hac* vero definitionem πεταλισμοῦ realem, quaeque ad eam faciunt, dabimus; poſtmodum rationes pro ſententia noſtra, nimirum viros excellentes non eſſe deprimendos

et

et pellendos, afferemus; argumenta autem, quae contra nos necti poſſe videntur, ſolvemus; et tandem exemplis, cum veterum, tum noſtri et ſuperioris aevi, rem ipſam illuſtrare conabimur. Precamur autem DEVM, cum PERICLE quoque, apud PLVTARCHVM in vita ipſius, *μηδὲ ῥῆμα ἐκπεσεῖν ἀκόντων ἡμῶν πρὸς τὴν προκειμένην χρεῖαν ἀνάρμοστον*, *ne quod nobis praeter voluntatem verbum excidat, quod ad rem propoſitam non faciat.* Et cum SIDONIVS APPOLLINARIS *lib. II. ep.* 12. improbet eos, *qui ſatis ſeduli languidos multos officioſiſſime occidant*, probet autem *Chironica magis inſtitutos arte, quam Machaonica*, eo diligentius poſtulandus eſt CHRISTVS, obſecrandusque, ut valetudini, cuius curationem cura noſtra non invenit, potentia ſuperna medeatur.

MEMBRVM I.

Philologica ὁριστικὰ καὶ ἱστορικὰ περὶ τοῦ ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΥ *exſequens.*

1. Quid proprie ſit Diſputatio et Diſſertatio. 2. Πεταλισμὸς profectus ex re ruſtica, quae artium mater et nutrix poteſt nuncupari. 3. Πεταλισμοῦ ἔτυμον. 4. Πεταλισμὸς cum ὀστρακισμῷ non eſt confundendus. 5. γένος Πεταλισμοῦ 6. Συνώνυμα. 7. Exſilii varia genera. 8. *Diodorus Sic.* correctus. 9. Πεταλισμοῦ ὁμώνυμα 10. Iudicandi ritus per teſtulas. 11. Cur Syracuſis nomina proſcribendorum inſeruerint foliis, et quidem oleae? ubi et *Plinii* ſen. locus aſſertus, et ratio, cur διαψήφησιν inſcripſerimus hanc diſquiſitionem, ſimul reddita. 12. Πεταλισμὸς proprius fuit Syracuſanorum, ὀστρακισμὸς Athenienſium non item.

I.

Quum omnis *diſputatio* et *diſſertatio*, translatitio ex agris et hortis verbo, in eo ſita et inde dicta recte videatus VARRONI, *lib. V. de Lat. L.* quod, *ut putator arbores putas, ſive puras facit; ſic is ſermo* quoque talis ſit, *in quo pura diſponantur verba, ne ſit confuſus, atque ut diluceat*: et, ut *olitor diſſerit in areas ſui cuiusque generis res, ſic in oratione quoque facit*

 diſer-

diſertus; ſicuti haec pluribus egregie perſecutus eſt nunquam ſine ſingulari et exquiſita laude memorandus DN. PRÆSES noſter *Notis in Suevii, veteris poetae, fragmentum moretarium.* 2. Cum autem ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΣ ex eadem agreſti diſciplina prodierit, cuius (ut CERDA *ad Virgilii Georgic. lib. II. v.* 28. auctor eſt) apud Romanos priſcos tanta fuit olim dignitas, ut certo poſſit affirmari, magnum Latinae linguae uſum ad rem ruſticam eſſe referendum; id quod aequa prorſus ratione de Graecis cenſeo poſſe praedicari. Quod ipſum etiam modo laudatus et nunquam ſatis laudandus Praeſes noſter accuratiſſime *in proœmio ad Palladium Rutil. Æmylian.* obſervavit: iccirco et nos in praeſenti, dum in eo ſumus, ut de ΠΕΤΑΛΙΣΜΩ diſſerere, disputare et φιλοσοφεῖν ſatagamus, opus erit primum φιλολογεῖν, καὶ φυλλολογεῖν, ſeu *folia* tam *edere*, quam *legere* et *decerpere.* 3. Quo verbo poſtremo HESYCHIVS expreſſit τὸ πεταλίζειν, unde derivatus eſt ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΣ, quod πετάλοις, ſive *foliis*, (πέταλα autem de *foliis* hic dici teſtatur quoque IVL. POLLVX *Onomaſt lib. I c.* 12.) nequaquam vero, ut H. STEPHANVS et VBBO EMMIVS *Vet. Graeciae Tom. III. pag.* 217. ſuſpicabantur, laminis inſcriberentur nomina eorum, quos commune ſuffragium relegandos cenſuiſſet: ſicuti ab ὀστρακίζειν, quod eſt *teſtulis, in urnam coniectis, damnare et relegare*, ΟΣΤΡΑΚΙΣΜΟΣ ſimiliter deducitur. 4. Quae licet ſint affinia inter ſe, non tamen ſunt eadem, ut mirari ſubeat, cur idem HESYCHIVS, et ab eo VARINVS, imo lexicographi ad unum fere omnes, BESOLDVS item *Politic. lib. I. c. 7. th.* 23. hanc nominis attulerint definitionem: ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΣ ΕΣΤΙΝ Ὁ ΔΙΑ ΦΥΛΛΩΝ ΟΣΤΡΑΚΙΣΜΟΣ ΓΙΝΟΜΕΝΟΣ; *Petaliſmus eſt oſtraciſmus cum foliis.* Quod non eſt per genus legitimum, ſed per cognatam et magis fortaſſe cognitam ſpeciem quomodocunque deſcripſiſſe. Ἐν δὲ τοῖς εἴδεσι περιέχεται τὰ γένη, ait SCHOLIASTES ARISTOPHANIS *in Veſpis pag.* 498. 5. Ex quo ΟΣΤΡΑΚΙΣΜΟΝ εἶδος φυγῆς eſſe voluit ἐν ὀστράκοις γραψάντων. Itaque ſubſumere licebit, ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΝ εἶναι

εἶδος

εἶδος φυγῆς ἐν πετάλοις γράψάντων: ſiquidem generalior eſt *φυγὴ*, ſive exilium, *πεταλισμῶ καὶ ὀστρακισμῶ*, ſpeciebus ſuis. *Καὶ τὸ μὲν ἐξωστρακίσθαι τὸ φεύγειν ἄν τις εἰκότως εἴποι, τὸ δὲ φεύγειν ὐκέτι ἐξωστρακίσθαι*; ut iterum ibidem SCHOLIASTES. Vnde recte vir praeclariſſimus, IOH. LOCCENIVS, *in Indice Philologico in Corn. Nep.* exſilium genus *ὀστρακισμῦ* conſtituit. Verba eius ſunt: *Oſtraciſmus eſt exſilium per ſuffragia teſtarum, quae Graecis ὄστρακα, quibus damnati nomen inſcribebatur.* 6. BVDÆVS ſane, *incomparabilis ille ſuo aevo Graecae linguae myſta*, (ut bene DN. BARTHIO *lib. XXI c.* 3. *Adverſ.* laudatus fuit) in *commentariis* haec ita compegit: Φεύγειν, *φυγαδεύεσθαι, διώκεσθαι, ἐκδιώκεσθαι, ἐκπίπτειν, ὑπερορίζεσθαι, ὀστρακίζεσθαι, ἐξορίζεσθαι*, de eiectis, extorribus, exſulibusque dicitur, quanquam aliqua ſit differentia Ἐξοστρακισμὸς eſt relegatio temporaria in locum certum, quae bona non adimit. *φυγὴ* eſt exſilium, cuius comes eſt bonorum publicatio, nec tempus habet finitum. Idem quoque *Annotat. in Pandectas pag.* 64. Oſtraciſmum, i. e. Athenienſium exſilium, quid ſit, a PLVTARCHO *in Ariſtidis vita* planiſſime doceri, indicans, conſuli poterit. Quin illa quoque BVDÆVS ab ARISTOPH. SCHOLIASTE *in Equitibus. Act. II. ſc.* 4 et inde quoque VARINVS habuit: *Διαφέρει δὲ φυγῆς ὀστρακισμὸς, ὅτι τῶν μὲν φυγῆς ἁλόντων αἱ ὐσίαι δημεύονται, τῶν δὲ ὀστρακισμῷ ἀποστάντων οὐκ ἀφαιρεῖται τὰ χρήματα ὁ δῆμος. Καὶ τοῖς μὲν χρόνος ἐνδείκνυται καὶ τόπος, οἱ δε φεύγοντες ὐδέτερον τέτων ἔχυσιν.* 7. Quin et apud Romanos multae fuere diſtinctaeque exſulum claſſes: primo *voluntariorum* et *involuntariorum*. *Priorum* iterum *duo* ſunt *genera*: *Quidam* enim ſponte ſua invidiae cedebant, utque calamitatem imminentem ſubterfugerent, ſolum vertebant. His itaque, ut CICERO *pro Caecinna* ait, exſilium non ſupplicium erat, ſed perfugium, portusque ſupplicii. *Quidam* vero, cum vincula ignominiasque vitant, quae ſunt legibus conſtitutae, confugiunt quaſi ad aram in exſilium. Si namque in civitate legis vim ſubire vellent, non prius civitatem, quam vitam a-

mitterent; id cum nolint, non adimitur his civitas, ſed ab his relinquitur atque deponitur. *Nonvoluntariorum tria genera* reperiuntnr. Nam aliud quidem *exſilium liberum* et *lata fuga* eſt, ut interdictorum, quibus ubi libet, praeterquam in hoc loco, unde fugati ſunt, degere integrum eſt: aliud vero *minus liberum* et certo circumſcriptum loco, quem excedere prohibentur rei, idque vel ad tempus ſaltem, ut eſt relegatorum, vel perpetuum, ut deportatorum et excluſorum. *Primis* interdictum eſt certi loci aditu commercioque, et, ne quis eos urbe, menſa, aut tecto, vel Lare ſuſciperet. Quod genus hodie *excommunicationem* et *exterminationem* vocant, CICERO vero coniunctim *lib. III. de offic. Atque hoc omne genus peſtiferum atque iniurium ex hominum communitate exterminandum eſt.* Talisque eſt Academicorum *expulſio*, cum extra unius ſaltem urbis muros et terminos eiiciuntur. *Medii* vel *proprie*, vel *improprie* ſunt *relegati*. *Proprie*, cum in locum aliquem, ab hominibus amicis et notis remotum, amandantur, ſicuti *Ovidius* in Pontum abire iuſſus eſt, qui *lib. II. Triſt.* ſaltem tutiorem locum rogabat:

Vnde precor ſupplex, ut nos in tuta releges.

Et lib. V. Triſt. Eleg. 12.

Ipſe relegati, non exſulis, utitur in me
Nomine: tuta ſuo iudice cauſa mea eſt.

Sic de *Tiberio* inquit poeta, apud SVETON. *in eius vita cap.* 59.

Omnia ſi quaeras, et Rhodos exſilium eſt.

Improprie non tam *relegati*, quam *religati* poſſe dici videntur, qui non modo amandantur alio, ſed certum in locum quodammodo includuntur, et quaſi libera cuſtodia circumſcribuntur, ut *Lucanus* in hortis ſuis; et ut praeſes aliquem damnat, ne domo ſua prodeat, *in lib. ult. ff. de interd.*, et ut *Verres*, apud CICERONEM *Verr. IV.* iudicem, qui ſecundum Heraclium iudicarat, in ſenatu eſſe, locisque et commodis publicis uti vetuit: qui hodie *ſuſpenſi* nuncupantur. Ad quos

etiam

etiam referendi, *qui* a Claudio, ut SVETONIVS prodidit, *ultra tertium lapidem urbe egredi vetabantur. Deportati* denique non ſaltem civitate ſua multati, ſed vincti navibus imponebantur, ſervisque publicis, ut in inſulam aliquam, vel, ut PLAVTVS *Rudente Act. I. ſc. 4. v. 8.* loquitur, in ſolas k) terras transferrent, tradebantur, capite et cenſu imminuti. Itaque et civitatem, et bona omnia amittebant, nec etiam ex teſtamento quicquam capere poterant, ſed ius omne civitatis et agnationis ſimul perdebant, ideoque atrociſſimum id genus exſilii habebatur; quemadmodum praeclare illa nos docuere CÆLIVS RHODIGINVS *Antiq. Lect. lib. X. c. 5.* ALEXANDER ab ALEXANDRO *Genial. Dier. lib. III. c. 20. et c. 5.* et inprimis HOTOMANNVS *de verbis iuris. Ad mediam* vero *ſpeciem relegatorum*, qui nec infames, nec bonis exuti, neque perpetuo exſilio multati, neque per lictores extruſi, ſed, retentis bonis et agris omnibus, ad paucos annos excedere terra, et in loco ac tempore praefinito ſe continere iubentur, uti teſtatur SVIDAS, cuius verba adducit MEVRSIVS *in Lect. Attic. lib. V. c. 18.*) referendus eſt Ἀπενιαυτισμὸς, quem ALCIATVS et ZVINGERVS *in Theatro p.* 3011. Latine *Abannationem* dici poſſe putant, *ad unius anni ſpatium relegatio*: πεταλισμὸς, *quinquennale*, et ὀστρακισμὸς *decennale exſilium.* 8. Quem ὀστρακισμὸν, contra aliorum ſcriptorum auctoritatem, DIODORVS SICVLVS. *lib XI.* quinque annorum eſſe voluit · ſed optime corruptum locum reſtituit IOH. MEVRSIVS, in eruditiſſimis *Atticis Lectionibus loc. citat.*, ut iam pro φεύγειν ἐκ τῆς πατρίδος ἐτέτακτο πενταετῆ χρόνον, legendum ſit δεκαετῆ χρόνον. 9. Sed ad Πεταλισμὸν ſtylum referamus. Cum, ſecundum, EVSTATHIVM *Odyſſ. τ.* et Odoardum BISETVM Carlaeum *in Ariſtoph. Theſmophoriaz. p.* 821. πέταλα, vel, ut Ionice dicuntur, πέτηλα τὰ ἀναπεπταμένα καὶ πλατέα φύλλα, praecipue vero φύλλα δένδρων, *lata arborum folia*, et πετήλας τὰς μακρὰς καὶ θαμνώδεις φοίνικας exponant,

k) *Vide hic omnino* PHILIP. PAREI *Lexicon Criticum in voce*, Sola loca.

nant, eo ipſo factum, ut et pro *lamina*, ſeu *bractea* ſumpſerint; ſicuti videre eſt ex *c.* 28. *Exodi*, et MARCELLO ad DIOSC. *lib. V. c.* 83. Quod autem pro *petaſo pileoque*, in modum folii ampli, latiore capiant cum SVIDA quidam πέταλον, in eo facimus cum H. STEPHANO, cui πέταλον, in maſculino genere in epigrammate quodam uſurpatum, inſolens videbatur, ideoque πέτασον ſcribendum exiſtimabat. Erat enim πέτασος peculiare Mercurio, ſeu Ἑρμᾷ, cuius ibi facta mentio, geſtamen capitis. Cum vero oleae folia hic capiantur, operae pretium eſſe putamus, annotare, cur primum folia, et cur oleagina ad conſignandum iudicium ſint adhibita. 10. Nam quod olim Athenis οἱ κακονέστατοι τῷ δήμῳ δοκοῦντες ἐξωστρακίζοντο καὶ κατεδικάζοντο, ὀστράκοις ἐγγραφόντων τὸ ὄνομα τοῦ φευγομένου, ut iterum HESYCHIVS ait, illud ex altero illo iudicandi ritu natum fuit, quo teſtulae alias quoque nigrae, vel albae in urnam proiiciebantur. De qua re etiam Peligni ruris alumnus, OVIDIVS (*quem poſteriora ſecula magnum indigitarunt, ad maius opus ipſius declarandum*, notante nobiliſſimo DN. BARTHIO *lib. VI. c.* 1. *Adverſar.*) *lib. XV. Metam. fab.* 1. *v.* 41.

Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpa.
Tunc quoque ſic lata eſt ſententia triſtis, et omnis
Calculus immitem demittitur ater in urnam,
Quae ſimul effudit numerandos verſa lapillos,
Omnibus e nigro color eſt mutatus in album.

Non praetereundum autem Alcibiadis dictum, unde mori huic lux accenditur. Is enim cuidam quaerenti: Οὐ πιστεύεις τῇ πατρίδι τὴν περί σου κρίσιν; regeſſit: Οὐδὲ τῇ μητρίδι. Δέδοικα γὰρ μὴ ἀγνοήσασα, εἶτα τὴν μέλαιναν ἐμβάλλῃ ἀντὶ τῆς λευκῆς ψῆφον. ÆLIANVS *Var Hiſt. lib. XIII cap.* 38. Lege hic notatu digna apud HADR. IVNIVM *Animadverſ. lib. II. c.* 5. et BAPTISTAM PIVM *Annotat. poſterior. c.* 91. in Gruteri Theſauro

ſauro Critico *Tom. I. p.* 494. 11. At vero, quod Syracuſis oleae foliis nomina proſcribendorum inſererent, non tam ex eo factam coniicimus, quod alias plantarum quarundam folia papyri vicem ſubirent, ut malvae, &c. (ut refert HERMAN. HVGO *de prima ſcribendi origine cap.* 10. ubi etiam palmis inſcribi ſolitum evincit ex PLINIO *lib. XIII. c.* 21. cuius locum corruptum, et pro *palmarum* ſcriptum fuiſſe *malvarum foliis* falſo adſtruxere GVILANDINVS *de papyro*, et IOH. CHOKIER *in Face Hiſtor. Cent.* 1. *c.* 17.) ſed quod ſemper virentibus oleae foliis homines quoque nimis florentes, plurimisque clientibus, amicis, opibus ac virtute quaſi germinantes, atque *πεταλίζοντας καὶ πεταλωτὲς* ſubinnuere vellent, qui pacis cauſa, quae b) per oleam ſignificabatur, eſſent ſubmovendi. TZETZES *Var. Hiſtor. Chil. XIII. c.* 489. geminam rationem quoque attulit, cur exilium tale a foliis ita nuncupatum eſſet: unam, quod in locis, in quibus non erat invenire teſtulas, ſcripſiſſent in foliis: alteram, quod, ut haec lata folia antumni tempore et, flatibus ventorum deciderent, ſic et potentia virtuteque florentes impetu populi. Ibidemque duo illa verba tanquam cognata enarravit, nempe *τὸ ὠστράκισεν καὶ τὸ ἐφυλλοβόλησεν*, et, ab hoc *ἐκφυλλοφόρησιν φαμὲν τὴν ἐξορίαν*, infit. Sciendum namque eſt, quod et capitales ſortes foliis frequenter inſcriptae etiam apud Graecos fuerint, unde *ἐκφυλλοφόρησις* condemnatio dicta eſt. Quod ipſum *clariſſimum Bataviae ſuae lumen*, HADRIANVS IVNIVS *l. c.* et GERH. IOH. VOSSIVS *lib. I. de arte Gramm. c.* 36. annotavit. Accuratius autem deſcribitur a POLLVCE *lib. VIII. cap.* 5. *Φύλλοις δ' ἐψηφίζοντο οἱ κατὰ δήμες δικάζοντες, οἷς ἐπέγραφον, εἴ τις ὡς παρέγγραπτος κρίνετο. Καί τὸ καταγνῶναι ἐκαλεῖτο ἐκφυλλοφορῆσαι. Καὶ ὁ κατεγνωσμένος ἐκπεφυλλοφορημένος. ὠνομάζετο δὲ ταυτὸν τῦτο ἀποψηφίσασθαι, καὶ ἀπεψηφισμένον ὑπεναντίως τὸ παρὰ τοῖς δικασαῖς. ἐκεῖ*

 γὰρ

b) *Vid.* VIRGIL. *lib VIII. Æn. v.* 116. LIVIVS *lib. XXX c.* 36 BAVHINVS *Hiſt. Plantar. lib. VI. c.* 1. *et* MEVRSIVS *Fil. Arboreti lib. I. cap.* 26.

γὰρ τὸ ἀποψηφίσασθαι τὸ ἀφεῖναί ἐστιν, ἐν δὲ τοῖς κατὰ δῆμον ἐργαστηρίοις ἀντὶ τοῦ καταψηφίσασθαι ταττέτω. Αἱ δὲ ἐν τοῖς δήμοις κρίσεις ἐκαλοῦντο διαψηφίσεις. καί ἡ βουλὴ δὲ ἡ τῶν πεντακοσίων, φύλλοις ἀντὶ ψήφων ἐχρῶντο. κοινῇ μέντοι πᾶς ὁ δῆμος ὀστράκοις ἐψηφίζετο. καὶ τὸ ἔργον ἐκαλεῖτο ὀστρακοφορία. καὶ τὸ πάθος ὀστρακισμός. Καὶ τὸ ῥῆμα ἐξοστρακίσαι, καὶ ἐξοστρακισθῆναι, i. e. interprete SEBERO, *Foliis ſuffragabantur ii, qui ſecundum tribus iudicabant, quibus inſcribebant, ſi quis veluti ſubdole obreptitius iudicabatur. Et condemnare foliis eiicere dicitur, et foliis eiectus pro condemnato. Idemque etiam abſolvere dicitur, et quod condemnatum eſt contrario modo apud iudices ſumitur. Illic enim* ἀποψηφίσασθαι *etiam abſolvere ſignificat. Verum in tribuum cauſis pro condemnare uſurpatur. Sed iudicia tribuum decreta nominabantur. Tum et ſenatus quingentorum foliis calculorum loco utebatur, communiter autem populus totus teſtis ſententiam ferebat. Et opus ipſum* ὀστρακοφορία, *ipſaque multa* ὀστρακισμὸς *dicebatur: Et verbum oſtraciſmo multari, aut relegari.* Hactenus POLLVX. Et afferuntur quoque ex ÆSCHINE *in Timarchum* exempla, ubi ἡ βουλὴ ἐκφυλλοφορεῖν dicitur, quod interpretantur ſenatu, vel ordine aliquem movere, et obreptitium e tribu, vel populo eiicere; quod dictum a foliis, ſeu frondibus, quibus in ſuffragiis utebantur. Vid. BVDÆVS et STEPHANVS. Quo loco tamen et illud obiter notandum, διαψήφησιν LYSIÆ ἐν τῷ κατὰ Ἐρατοσθένους ſententiae per ſuffragiorum disquiſitionem in quacunque re controverſa lationem et condemnationem, ſigillatim factam, ſignificare. Vnde et hanc diatribam, ſive disquiſitionem, e ſummorum virorum ſuffragiis collectam, ita inſcripſimus. 12. Nec illud praetereundum eſt, ſolius Syracuſae fuiſſe proprium ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΝ. Contra vero οὐ μόνον οἱ Ἀθηναῖοι ὀστρακοφόρουν, ἀλλὰ καὶ Ἀργεῖοι, καὶ Μιλήσιοι, καὶ Μεγαρεῖς, ut bene iterum VARINVS PHAVORINVS, Nucerinus Epiſcopus, ſeu adeo ALEXANDER POLYLAVS, Cercyraeus, illius magiſter, perſcripſit; uterque vero ab ARISTOPHANIS SCHOLIASTE *in Equitibus Act. II. ſc. IV,* 20. et ab ARISTOTELE *lib. III. Politic. c. 13. et lib. V. c. 3.* hauſit.

MEM-

MEMBRVM II.

Hiſtorica περὶ τȣ͂ Πεταλισμȣ͂ *pertexens.*

1. Praemittitur urbis Syracuſarum deſcriptio. 2. Laudes eius et reipublicae ſtatus excutiuntur. 3. Hiſtoria ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΥ adiicitur. 4. Athenienſibus virtus eminentium virorum fuit moleſta. 5. Τȣ͂ ὀςρακισμȣ͂ denominatio Latina. 6. Eiusdem ritus. 7. TZETZES refutatus. 8. Requiſita ad ὀςρακισμόν. 9. Nomina proſcriptorum cui rei inſcripta. 10. Variae opiniones de inventore et origine τȣ͂ ὀςρακισμȣ͂. 11. Eius abrogatio. 12. Populo Athenienſi non tam eiiciendi, quam revocandi proſcriptos ius fuit. 13. Auctores varii de ὀςρακισμῷ indicati. 14. Quid ἀποςρακισμὸς; 15. Quid ὀςρακίνδα; 16. Proverbium ὀςράκȣ περιφορή. 17. Romanorum coercendi potentes ratio. 18. Reliquiae ὀςρακισμȣ͂ in Helvetia. 19. Modus, ab ὀςρακισμῷ non multum diſſimilis, ſeponendi potentes apud Venetos. 20. Idem apud Hiſpanos. 21. Idem penes Gallos 22. Plurima ad infringendam nimiam potentiam et excellentiam media reperta.

Cum iam, quae ad nomen Πεταλισμȣ͂ attinere viſa ſunt, examinaverimus, reliquum eſt, ut nos ad res ipſas cognoſcendas praeparemus. Operae pretium autem eſſe exiſtimo, ſi prius urbis Syracuſarum, eiu que reip. formam, ubi ſcilicet natus et denatus ὁ Πεταλισμὸς, attendamus. 1. SYRACVSÆ urbs eſt in Sicilia, et vetuſtate, et nobilitate maxime celebris, terra marique ſic loci commoditate et natura clauſa, tantaque multitudine, ut *ſapienti illi et* μεγαλοφωνοτάτῳ a), PINDARO, μεγαλοπόλιες Συράκοσαι dictae ſint, *in Pythiis Od.* 2. SOLINVS autem *Polyhiſtor c.* 11. *principem urbium* habeat. 2. Certe haec urbs dignitate et praeſtantia ſua id aſſecuta eſt, ut ab innumeris memorata et celebrata fuerit auctoribus, quorum longam ſeriem introducit geographus ad miraculum usque politiſſimus et laborioſiſſimus, PHILIPPVS CLVVERIVS *lib. I. Siciliae antiquae c.* 121. qui etiam urbis noſtrae ſitum, magnitudinem portuumque adiacentium opportunitatem

a) *Mich. Neander. in Praefat. Chronic.*

tatem fuſe et accurate deſcribit. Praecipue vero in numerum ſcriptorum, quos CLVVERIVS *lib. c.* appellavit, referri merentur M. T. CICERO et *facundo* SILIVS b) *ore*, quorum verba hic ſubiicere pagellarum numerus non permittit. Remittimus interim cupidum lectorem ad illius *Verrinam IV.* ad huius vero *Bellor. Punic. lib. XIV*, 278. *ſeq.* Illud praeterea ingentem laudum cumulum addit Syracuſis, quod easdem vel ipſis Athenis palmam dubiam feciſſe memorent THVCYDIDES *lib. VII.* et PLVTARCHVS *in Nicia.* c) Conditae ſunt SYRACVSÆ, Olympiad. XI. an. 1., anno mundi 3215., ante Chriſtum natum 733. ſupputante SETHO CALVISIO; a Corinthiis, principe *Archia*, ut HERODOTVS *lib. I.* THVCYD. *lib. VI.* PAVSANIAS *in Eliacis*, et PLVTARCHVS 2. *amator.* ſcribunt. Habitatae ſunt primum ab Ætolis. Caelum habuerunt adeo temperatum, ut nunquam ita obnubilatum d) fuiſſe dicatur, quin aliqua hora diei ſol conſpectus fuerit; auctore *maximo arcanorum myſta* e), PLINIO *lib. II. c.* 62. et, qui ex eo narrat, FRANC. PHILIP. FERRARIVS *in Topographicis poeticis.* Conditore, Archia, e humanis exempto, nihilominus urbs ipſa et agri felici proventu, et naturali portuum commoditate maxima accepit incrementa. Hinc STRABO *lib. VI.* Ἠυξήθη δὲ καὶ διὰ τὴν τῆς χώρας εὐδαιμονίαν ἡ πόλις, καὶ διὰ τὴν τῶν λιμένων εὐφυΐαν, οἱ ἄνδρες ἡγεμονικοὶ κατέστησαν. καὶ συνέβη Συρακουσίοις τυραννουμένοις τε δεσπόζειν τῶν ἄλλων, καὶ ἐλευθερωθεῖσιν ἐλευθεροῦν τοὺς ὑπὸ τῶν βαρβάρων

b) *Martial. lib. VI. epigr. 64.*

c) *Vide quoque de huius urbis laudibus Flor. lib. II. c. 6. §. 33. 34. Plutarchum in Marcello, Thom Fazellum de reb. Siculis prior. Decad lib. IV c. 1. Marium Aretium lib. de ſitu Siciliae, Dominic. Mar. Nigrum Geograph lib. VIII. p 229. ſeq. Volaterran. lib. VI. p. 226. 227. Vbbon. Emmium. vet. Graec. Tom. II. lib. I. p. 15.*

d) *Confer Senec. conſolat. ad Marciam c. 16. et Iac. Pontan. Atticis bellariis p. 973.*

e) *Weitz. in epiſt. de Philolog. ad Dilherrum.*

ϐάρων καταδυναςευμένες. Quod remp. Syracuſanorum attinet, ea, pro variis temporibus, varietatem etiam habuit. *Archias*, dum eſſet in vivis, ſalvam ac ſoſpitem remp. in ſua ſede continuit. Poſt quem etiam complures dignitate et virtutibus conſpicui et florentes viri ſuperſtites manſerunt. Creſcente vero multitudine, crevit etiam urbis potentia, populo ſupremam poteſtatem obtinente, donec potentiores nobilioresque cives plebis imperium detrectarent, et remp. paucorum imperio (Graeci ὀλιγαρχίαν vocant) ſubiicerent. Quibus iterum deiectis, *Gelon* a profugis, in auxilium vocatus eſt, qui repente magnum exercitum conflavit eumque adverſus Syracuſanos educens proſcriptos reſtituit. Quo facto tantum ſibi favorem conciliavit, ut reip. ſumma, unanimi omnium conſenſu, ipſi deferretur, iis temporibus, quibus Xerxes Graeciam invaſerat. Atque hoc pacto Syracuſarum imperium ad Gelonem translatum eſt Olympiad. 72. anno 2. Hic, cum 7. annis, ſumma cum laude, Syracuſanis praefuiſſet, et Hieroni, fratri ſuo, regnum tradidiſſet, exſpiravit, olymp. 75. anno 3. *Hierone* vero et, poſt eum, altero fratre, *Thraſybulo*, imperante, quas res luxuria in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, avaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet, eas omnes ſubditi pertulerunt. Quo ipſo populo repetendae libertatis deſiderium iterum natum eſt. Hac, armata manu, recuperata, ea reip. forma introducta eſt, quam Ariſtoteles proprie vocavit πολιτείαν, popularis ſc. primorum poteſtate temperata, quae etiam per LX. deinceps annos feliciter fuit adminiſtrata, ita ut optimates honoribus dignis afficerentur, et populus ſuas quoque partes in rep. obtineret. 3. Verum, ſicuti:

Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis, neque uno Luna rubens nitet
Vultu;

id quod Venuſina Siren *lib. II. Od. XI,* cecinit: ita etiam hanc Syracuſanorum felicitatem ſecuta eſt ſubita commuta-

tio. Etenim exteri, quibus ad capeſſendas civiles dignitates via praecludebatur, negligi ſeſe indigne ferentes, varie civitatem affligebant. *Tyndarides* quoque, qui et Tyndarion appellatur, et copiis rei familiaris locuples, et omni ſcelere notisque turpitudinis inſignis, tyrannidem invaſurus, plebem ſibi plurimis largitionibus conciliabat, ut ita paulatim remp. opprimeret, rerumque ſummam ad ſe traheret. f) Verum, cum primores Syracuſanorum inſtitutum eius cognoviſſent, et non tantum a Tyndaride, ſed plurimis etiam aliis ſeditioſis hominibus reipublicae periculum imminere ſenſiſſent, ad imitationem Athenienſium ὀστρακισμοῦ, ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΝ inſtituerunt, Olympiad. LXXX. anno 3. anno mundi 3492. ante Chriſtum 456. Archonte Ariſtone Athenis, teſte aeterno illo Hafnienſis Academiae decore, IOH. MEVRSIO *in Lection. Atticis lib. V. c.* 18. Anonymus *in deſcript. Olymp.* ad nominatum tempus ita notavit: Ὁ παρὰ Συρακουστίοις πεταλισμὸς, παραπλήστιος τῷ τῶν Ἀθηναίων ὀστρακισμῷ, εἰσήχθη ἅμα, καὶ μετ᾽ ὀλίγον κατελύθη, i. e. *Apud Syracuſios Petaliſmus, ſimilis Athenienſium oſtraciſmo, introductus eſt pariter, et non multo poſt iterum deſiit.* Copioſior eſt in hiſtoria τοῦ πεταλισμοῦ enarranda *prudentiſſimus ſcriptor* g), DIODORVS SICVLVS *lib. XI. p.* 65, 66. cuius verba non pigebit huc referre: Πλεονάκις δὲ τῶν ἀνδρῶν τυραννίδος ἀπιθυμούντων, ὁ δῆμος (τῶν Συρακουσίων) ἐπηνέχθη μιμήσασθαι τοὺς Ἀθηναίους, καὶ νόμον θεῖναι παραπλήσιον τῷ παρ᾽ ἐκείνοις γεγραμμένῳ. παρὰ γὰρ Ἀθηναίοις ἕκαστον τῶν πολίτων ἔδει γράφειν εἰς ὄστρακον τοὔνομα τοῦ δοκοῦντος μάλιστα δύνασθαι τυραννεῖν τῶν πολίτων. παρὰ δὲ τοῖς Συρακουστίοις εἰς πέταλον ἐλαίας γράφεσθαι τόν δυνατώτατον τῶν πολιτῶν. Διαριθμηθέντων δὲ τῶν πετάλων τὸν πλεῖστα πέταλα λαβόντα, φεύγειν πενταετῆ χρόνον. i. e. *Cum autem ſae-*

f) *Latius haec deducta reperiuntur apud Diodor. Sic. lib. XI. p. 65. ſeq. Thom. Fazell. de reb. Sic. Dec. poſter. lib. I. Vbbon. Emmium Vet. Graec. Tom. III. p.* 217. *ſeq. Excellentiſſ. Franckenſtein. Exercitat. MS. in Corn. Nep. Dionem th. 8.*

g) *Ian. Gebhard. Not. b. in Corn. Nep. Epaminond.*

ſaepius homines tyrannidem affectarent, *populo* (*Syracuſiorum*) *placuit imitari Athenienſes*, *et legem conſtituere*, *quae illorum legi ſimilis eſſet*, *quam de Oſtraciſmo ſanxerant. Ab Athenienſibus quidem nomen eius*, *qui videbatur tyrannidem in cives exercere poſſe*, *in teſtulam ſcribebatur*; *a Syracuſanis vero potentiſſimus civium in olivae folium ſcriptus eſt. Numeratis autem foliis*, *cui plurima folia obtigerant*, *is ad quinquennium in exſilium ibat.* Adi quoque ſtupendi laboris *Theatrum* ZWINGERI, pag. 748. 749.

4. Iam conſiderandae veniunt cognatae ſpecies τῦ πεταλισμῦ, inter quas praeſtantiſſima eſt ὁ ΟΣΤΡΑΚΙΣΜΟΣ. De quo cum multa in ſuperioribus inſpergenda fuerint, hic ea, quae relicta fuiſſe videbuntur, attingemus. Rempublicam Athenienſium quod attinet, ſi pluribus verbis deſcribere vellemus, actum ageremus, cum tanta tamque illuſtrium optimorum auctorum monumenta in omnium fere manibus verſentur. Sufficit indicaſſe SIGONIVM *in lib. de Rep. Athenienſium*, IOH. MEVRSIVM *in Regno Attico* et VBBONEM EMMIVM *in Veteri Graecia*, qui de omnibus accuratiſſime nos erudiunt. Caeterum perpetuus plebis Athenienſis morbus fuit, ſuſpicari ex ignavo metu, et non tantum premendi, ſed etiam claros et virtute inſignes viros, deque rep. optime meritos, opprimendi deſiderium atque ſtudium: ut vere cum SALVSTIO dixerim, ſcilicet ea, quae ſecundae res amant, laſciviam atque ſuperbiam inceſiſſe, cum coepiſſet populus dignitatem in libidinem vertere, ſibi quisque ducere, trahere, rapere. Quod vel ex unico *Miltiadis* exemplo ſatis ſuperque claret, de quo eleganter CORNELIVS NEPOS in eius vitae fine: *Haec populus reſpiciens*, *maluit eum innoxium plecti*, *quam ſe diutius eſſe in timore.* Vnde factum puto, quod tot doctiſſimorum hominum linguam et calamum in ſe provocarint. Vid. IAC. MIDDENDORPIVM *de Acadm. lib. II. p.* 356. *ſeq.* 5. Vocatur autem ὀςρακισμὸς Latine *teſtularum exſilium*, teſte PHILIP. BEROALDO *Annotat. in varios auctores*, *apud Gruter in Theſauro Critico Tom. I. p.* 257. HADR. IVNIVS *lib. V. Animadverſor. c.* 18. *teſtularum depoſitionem*,

tionem: CORNELIVS NEPOS, *in Themiſtocle*, ſimpliciter *teſtulam* appellat. 6. De more et ritu relegationis per ὀστρακισμὸν clare SCHOLIASTES ARISTOPHANIS (quem tanti aeſtimat GISBERTVS VOETIVS, h) ut ſuadeat, eum utique magno mercandum eſſe, ſi proſtet; tot enim ac tanta ad eruditionem linguae Graecae et ad antiquitates pertinentia inde hauriri poſſe, ut locus vel in bibliotheca theologica ei ſupra multos autores profanos aſſignandus ſit) *ad Equites p.* 346. Ὁ τρόπος τοιοῦτος ὀστρακισμοῦ. Προεχειροτόνει ὁ δῆμος ὄστρακον εἰσφέρων, καὶ ὅταν δόξῃ, ἐφράττετο σανίσιν ἡ ἀγορὰ, καὶ κατελείποντο εἴσοδοι δέκα. Δι᾽ ὧν εἰσιόντες κατὰ φυλὰς ἐτίθεσαν ὄστρακον, ἐντιθέντες τὴν ἐπιγραφήν. ἐπεστάτουν δὲ, ὅιτε θ ἄρχοντες, καὶ ἡ βουλή. Ἀριθμηθέντων δὲ, ὧν πλεῖστα γένοιτο, καὶ μὴ ἐλάττω ἑξακισχιλίων, τοῦτον ἔδει ἐν δέκα ἡμέραις μεταστῆναι τῆς πόλεως. ἐι δὲ μὴ γένοιτο ἑξακισχίλια, οὐ μεθίστατο. Huic affinis eſt locus apud IVL. POLLVCEM *lib. VIII. c.* 5. Καὶ περισκηνίσαντας δέτι τῆς ἀγορᾶς μέρος, ἔδει φέρειν εἰς τὸν περιορισθέντα τόπον Ἀθηναίων τὸν βουλόμενον ὄστρακον ἐγγεγραμμένον τοὔνομα τοῦ μέλλοντος ἐξοστρακίζεσθαι. Ὅσω δὲ ἑξακισχίλια γένοιτο τὰ ὄστρακα, τοῦτον φυγεῖν ἐχρῆν, οὐχ ὡς κατεγνωσμένον, ἀλλ᾽ ὡς τῇ πολιτείᾳ βαρύτερον, δι᾽ ἀρετῆς φθόνου μᾶλλον, ἢ διὰ κακίας ψόγον, i. e. *Atque aliquam fori partem obſepientes, nomen illius, quem oſtraciſmo multatum volebant, teſtis in locum definitum Athenis ferre oportebat. Cui autem ſex millia teſtarum obveniebant, huic fugiendum erat, non ut damnato, ſed velut reip. moleſtiori, magis ob virtutis aemulationem, quam vitiorum vituperium.* 7. Ex his elucet, quod merito IOH. TZETZES *Chiliad. XIII. c.* 489. a DN. MEVRSIO *in Lect. Atticis lib. V. c.* 18. erroris arguatur, cum ſtatuat, mille teſtulas in iudicio illo adhibitas fuiſſe, et locum conventus in Cynoſarge conſtituat. 8. VBBO EMMIVS *Vet. Graeciae Tom. III. p.* 37. ſcribit, duo requiſita fuiſſe ad hoc iudicium; 1. *ut in concione pauciores non eſſent, quam ſexies mille*, et 2. *ut ſuffragium ferentes aetate minores non eſſent, quam annis LX.* Addit,

---

h) *In Bibliotheca ſtudioſi theologiae, p. m.* 308.

dit, *mercedem, iudicibus ſingulis ſtatutam, fuiſſe obolos tres*, i. e. *mediam drachmam.* 9. Proſcriptorum nomina inſerebantur ὀστράκοις, *teſtulis.* FAZELLVS *Decad. poſter. rer. Sicul. lib. I. c. 4. p.* 245. dicere maluit *ſuper petram. In latere* CL. MARIVS ARETIVS *lib. de ſitu Siciliae p.* 580. *In cortice*, VBBO EMMIVS *Tom. III. Vet. Graec. p.* 217. *In calculis* PHILIP. BEROALDVS *Annotat. in varios Auctores loc. c. In lapillo* SCIPIO AMIRATVS *Diſſertat. Polit. in Tacit. lib. XIV. Annal. Diſcurſu* 3. *Commutatis teſtulis* HADR. IVNIVS *in Oribaſio Eunapii.* 10. De inventore τοῦ ὀστρακισμοῦ res maxime ambigua. VBBO EMMIVS *Vet. Graec. Tom. III. p.* 37. inſtitutum Solone recentius vocat. Plerique huius relegationis inventorem unum eſſe, qui et ipſe hanc iniuriam ſit expertus, uti fieri plerumque conſuevit, dixerunt. Sed hic rurſus inter perſonas diſceptant. HERACLIDES *Hippiam*, ÆLIANVS *Cliſthenem*, PHOTIVS *Achillaeum* hoc exſilii genere multatos fuiſſe primos contendunt. His contrarius eſt HARPOCRATIO, qui *in Lexico X. Rhetorum* in haec verba erumpit, p. 153. Ἵππαρχος ὁ Πεισιστράτου. Περὶ δὲ τούτου Ἀνδροτίων ἐν τῇ δευτέρᾳ φησὶν, ὅτι συγγενὴς μὲν ἦν Πεισιστράτου τοῦ τυράννου, καὶ πρῶτος ἐξωστρακίσθη, τοῦ περὶ τὸν ὀστρακισμὸν νόμου τότε πρῶτον τεθέντος, διὰ τὴν ὑποψίαν τῶν περὶ Πεισίστρατον, ὅτι δημαγωγὸς ὢν καὶ στρατηγὸς ἐτυράννησεν. Praeter monumenta vero ANDROTIONIS, quae allegavit HARPOCRATIO, (quem falſo SIGONIVS *lib. II. de Rep. Athen.* aſſentiri HERACLIDI voluit, cum alias fuerit Hippias ab Hipparcho, et ille filius, hic propinquus Piſiſtrati feratur) ipſe quoque PLVTARCHVS in *Nicia* tradidit, Hyperbolum Oſtraciſmi exilio ultimo affectum fuiſſe, primum vero omnium ita punitum Hipparchum, Cholargenſem, tyranni cognatum. Horum veſtigia ſecutus eſt *aevi noſtri gloria* i), IOSEPHVS SCALIGER *in Animadverſ. ad Euſebii Chronicon num.* 789. diſſentiens hac in parte ab EVSEBIO ſuo, qui originem ὀστρακισμοῦ ad *Theſeum* refert, quando

i) *Rittershuſ. Not. in Phaedrum p.* 70.

ait: Θησεὺς Ἀθηναίους κατὰ χώραν ἐσπαρμένους εἰς ἓν συναγαγὼν, ἤτοι εἰς μίαν πόλιν, πρῶτος ἐξωστρακίσθη αὐτὸς, πρῶτος θεὶς τὸν νόμον. PHILIPPVS IACOBVS MAVSSACVS, ſingulis ſententiis examinatis, praefert *Theſeum*, et in Euſebii verba iurare audet, *in Notis ad Harpocrationem p.* 194. adductus auctoritate ARISTOPHANIS SCHOLIASTÆ *in Plutum*, SVIDÆ in voce Θησείοισιν, et praecipue *elegantiſſimi omnium philoſophorum et eruditiſſimi*, ipſius CICERONIS, teſtimonio *lib. V. Tuſcul. Quaeſt.* THEOPHRASTI, cuius etiam verba ex Politicis, quae πρὸς τοὺς καιροὺς ſcripſerat, adducit. referente quoque SVIDA in Ἀρχὴ σκυρία. Ὀστρακισθῆναι δὲ πρῶτον Ἀθήνησι Θησέα ἱστορεῖ Θεόφραστος, ἐν τοῖς πρὸς τοὺς καιρούς. Nos, cum et in hanc ſententiam ſummum virum, IOH. MEVRSIVM *Lect. Attic. loc cit* inclinare videamus, ſtamus itidem a parte *Theſei*, et ad hunc originem τοῦ ὀστρακισμοῦ referre vix dubitamus. 11. Nulla vero lis eſt de abrogatione τοῦ ὀστρακισμοῦ, cum omnes uno ore affirment, eum in *Hyperbolo*, de quo infra fortaſſe dicetur, deſiiſſe. Aperte SCHOLIASTES ARISTOPHANIS *in Equites Act. II. ſc.* 4 *v.* 20. Μέχρι δὲ Ὑπερβόλου ὀστρακισμὸς προελθὼν, ἐπ' αὐτοῦ κατελύθη Vid. THVCYD. *lib. VIII.* SVIDAS in eo nomine, PLVTARCHVS *in Nicia.* 12. Vt autem populi ius fuit, damnatos urbe eiicere: ita etiam penes illum ſtetit, ante diem, lege conſtitutam, eosdem in patriam revocare. Sic autem *Ariſtidem* et *Cimonem* revocatos legimus. De hoc ARISTIDES, Adrianenſis, *Orat. Platonica* 2. *Tom.* 3. *operum p.* 400. de utroque PLVTARCHVS in *vitis*.
13 Qui plura cupiet de ὀστρακισμῷ, conſulere poterit DIODOR. SIC. *lib. XI. p.* 41. *ſeq.* ALEXANDRVM ab ALEXANDRO *Genial. Dier. lib. III. c.* 20. ibique TIRAQVELLVM. DN BOECLERVM *in Indice in Cornel. Nep.* GREGOR. THOLOSANVM *de Republ lib. XXII. c.* 10. §. 5. BEROALDVM *Annotat. in Varios Autores lib. c.* HADR. IVNIVM *Animadverſor. lib V c* 18. BESOLDVM *lib. II. Politic. c.* 9. *th.* 20. et auctores ibidem adductos, IOH. MEVRSIVM *in Lection. Atticis l. c.* nec non inſigniter locupletatum, et ſumma eruditione

con-

conſtipatum FABRI THESAVRVM AVGVSTI BVCHNERI 14. Sed, ne cuiquam vocabulum ΕΠΟΣΤΡΑΚΙΣΜΟΣ negotium faceſſat, et cum ὀςρακισμῷ confundatur, dicimus ἐποςρακισμὸν fuiſſe genus ludi, quod ex MINVTII FELICIS *Octavio* deſcribit IAC. PONTANVS *Atticor. Bellar.* pag. 225. 15. Idem iudicium eſt de vocabulo ΟΣΤΡΑΚΙΝΔΑ, quod pariter de veteris ludi genere uſurpari conſtat cum ex HESYCHIO et VARINO, tum quoque ex SCHOLIASTE ARISTOPHANIS *in Equites p.* 340. cuius verba ſunt: Ὀςρακίνδα ἐςι μὲν ὄνομα παιδιᾶς k): quamvis ὀςρακισμὸν etiam ὀςρακίνδαν appellari poſſe non diſſimulet clariſſ. *BOECLERVS Program. Academ p.* 33. praeſertim cum a teſtula utrumque nomen deſcendat, et teſtulis res ipſa peragatur; ſed in eo quidem nos aſſenſum cohibemus, non liquere pronunciantes. 16. Hinc quoque accerſere licebit originem proverbii, ὀςράκυ περιφορὴ, *teſtulae converſio*, et, ut credo, non ineleganter. Sicuti enim teſtula modo in hanc, modo in illam vertitur partem, nec unquam uni loco perpetuo adhaeret: ita etiam florentes hominum fortunae ſubito vertuntur, ut iam proſpera adverſis, iam laeta triſtibus, iam bona malis, iam durantia cadentibus, iam florentia proſtratis, incredibili mutationis celeritate, ſuccedant. Alluſit ad proverbium illud EVNAPIVS SARDIANVS *in Chronographia:* Ὥσπερ ὀςράκυ μεταπέσοντος ἐπὶ τὸ βέλτίον ἐχώρησε Ῥωμαίοις, h. e. *Romanis felicius res cecidit, tanquam in diverſum prolapſa teſtula.* l) 17. Veteres *Romani* utebantur remedio quodam molliori, quam Athenienſes et alii, circumcidentes ſuſpectorum civium vires, ademptisque magiſtratibus ad privatum ſtatum redigentes. 18. BESOLDVS *lib. I. Politic. c.* 7. §. 5. *f.* refert, in Helvetia quoque ὀςρακισμȣ naturam ſapere, quod nobiles, cum affectarent ὀλιγαρχίαν, ſponte pariter ac vi coacti ſeceſſerint. Videndi

R 2 dendi

k) *Vide quoque* MEVRSII *Graeciam ludibundam, ubi plures auctores nominantur, et* IVL. POLLVCEM *Onomaſt. lib. IX. c. 7. p.* 443.

l) *Adi quoque* ERASMI *Adag. Chiliad II. cent. I. prov.* 51. *et* BOECLERVM *loc. cit. p.* 33. 34. 35.

dendi hac de re MVNSTERVS *lib. III. Coſmograph. c.* 34. et SIMLERVS *in deſcript Valeſiae lib. I. fol. b. ſeq.* 19. Hodie eadem, ſi fides habenda PAVLO IOVIO *lib. I. Hiſt. Venetorum* lex eſt, qua aſſequuntur, ut nemo temere ex optimatibus, qui vel inſigni virtute, vel ſpiritu, aut fortuna in gerendis rebus antecellat, caeterosque poſt ſe relinquat, nimio plus creſcere, vel, collecto omnium erga ſe amore et favore, potens nimis et clarus fieri poſſit. 20. Quin etiam morem eiiciendi potentes apud *Hiſpanorum* nationem uſitatum, eumque ex Aſſaſſinorum evangelio ſc. licitum eſſe aſſerit vir πολιτικώτατος, IAC. ZEVECOTIVS, *obſervatis politicis in Suetonii Iul. Caeſ. p.* 67. 21. Denique *in regno Galliae* multoties eandem actam fuiſſe fabulam, narrat illuſtris FORSTNERVS, *Not. Politic. in Tacit. Annal. p. m.* 173. quod nimirum regni proceres, potentia et auctoritate caeteros ſuperantes, imminuti et de medio ſublati fuerint. 22. Caeterum et plurima alia media excogitata ſunt, quibus *viri*, ut TACITVS *lib. I. Annal. c.* 12. §. 6. loqui amat, *plusquam civilia agitantes* reprimerentur atque coercerentur, quae omnia accurate perſequi non eſt noſtri inſtituti. Siquidem videas *alios eſſe abſtractos ab imperio ſpecie honoris*, ut claret ex IANI GRVTERI (*in cuius una diſſertatione*, teſtante quoque BOECLERO *Annot.* 1. *in Tacit. Annal. lib. I. c.* 13. *certe plus eſt gravioris conſilii et prudentiae, quam in aliquam multis eorum libellis, qui omnem ſapiendi artem discurrendo, ut autumant, metiuntur*) *diſcurſu ad Taciti verba lib. I. Hiſtor. Dux deerat, abducto Verginio per ſimulationem amicitiae*, quem omnino operae pretium eſt evolvere. Huic adde BOECLERVM *Annotat. in lib. I. Hiſtor. Tacit. c. VIII. p.* 18. ZVINGERVM *in Theatro p.* 3011. CLAPMARIVM *de arcanis rerum publ. lib. IV. c. XI, XII.* DAVID. MEVIVM *Diſcurſu VI. in Tac. lib. II. Annal. th.* 134. Alios leges ſublatos *per legationem*, alios repreſſos *per retentionem liberorum*, tanquam obſidum, *in aula*, alios *per brevem imperii conceſſionem;* aliis *collegas et actionum inſpectores* adiunctos fuiſſe animadvertes. Sed, ut dixi, huius generis copia multiplex et varia, ut exclamandum ſit:

Saepe

Saepe ego digeſtos volui numerare colores,
Non potui, numero copia maior erat.

Qui plura deſiderat de remediis artibusque, quibus principes et respublicae utuntur adverſus eiusmodi ſuſpectos ſibi homines, evolvat *ARISTOT. lib. V. Politic. c.* 8. *IANVM GRVTERVM Discurſ. in Tacit. cap.* 35. *et* 36. *MACHIAVELLVM Disput. in Livium lib. I. cap.* 52. *SCIP. AMIRATVM Diſſertat. Politic. in Tacit. lib. XIV. Diſc.* 3. *FORSTNERVM Not. Polit. in Tacit. p. m.* 153. *uſque* 174. *BOECLERVM Annot. Polit. in Tac. Hiſt. lib. I. c.* 13. *p.* 30, *PETR. GREGOR. THOLOSANVM de Rep. lib. XXII. cap* 10. §. 6. 7. 8. *BESOLDVM lib. II. Politic. c.* 9. *th.* 61. *PICCARTVM in Ariſtot. lib. V. Politic. c.* 8. *p* 757. *ſeq. ENENKELII, L.* Baronis Hoheneccii, *Seianum cap.* 3. *DAV MEVIVM Disc.* 4. *in lib. I. Annal. Tac.* §. 102. *et in lib. II. Disc.* 7. It. *Miniſterium Cardinal. Richelii et Mazarini lib. VIII. cap.* 12. cum obſervationibus.

MEMBRVM III.

Philoſophica de ΠΕΤΑΛΙΣΜΩ *exhibens.*

1. Aſſertur definitio realis τȣ̃ πεταλισμȣ̃. 2. Honeſta fuit relegatio per ὀςρακισμὸν καὶ πεταλισμὸν. 3. Non ſceleratiſſimi, ſed optimi, et civili potentia, ac reliquis, quae in hunc cenſum veniunt, florentes viri per haec relegationis genera ſunt eiecti.

I.

Erat autem Ὁ ΠΕΤΑΛΙΣΜΟΣ honeſta excellentiſſimorum civium apud Syracuſanos ad quinquennium relegatio, popularis aequalitatis et libertatis ſervandae gratia. Vel brevius: Florentis virtutis erat poena vulgaris. Cum enim relegatio maleficos alias bonis et honore multaret, flagitiique poena foret apud caeteras civitates, praeterquam Romae, ubi poſt rogatam demum legem Porciam exſilium damnatis permiſſum fuit. 2. At haec relegatio virtute et po-

tentia eminentium atque innoxiorum fuit vexatio, non ad criminis ullius improbitatem caſtigandam, ſed potentiam ſaltem moderandam, ſic merito ſuo honeſta fuit habita. Clarum teſtimonium PLATONIS, comici, quod a PLVTARCHO in *Nicia* et in *Alcibiade*, et, qui illud repetiit, a *cordatioris doctrinae pleno* a) IANO RVTGERSIO *lib. I. Var. Lect. c. 9. p.* 42. accepimus:

Καὶ τὶ πέπραχε τῶν τρόπων μὲν ἄξια,
Αὐτȣ̃ δὲ καὶ τῶν ϛιγμάτων ἀνάξια;
Ου γὰρ τοιȣ́των εἵνεκ' ὄϛραχ' εὑρέθη.

Hoc eſt:

Paſſus quidem eſt ſuis bene digna moribus,
Sed ſe ſuisque indigna ſtigmatibus tulit:
Non eſt enim propterea inventus Oſtracus.

Longe clarius autem et accuratius ARISTIDES, Adrianenſis, *Orat. Platonica II. Tomo III. operum p.* 398. cuius verba, cum liber non ſit in omnium manibus, non taedet addere: *Ἦν δ' ȣ̃τος ὁ νόμος. ἐκέλευον τȣ̀ς ὑπερέχοντας μεθιϛάντες ἔτη δέκα. Ἄλλο δ' ȣ̓δὲν ἔγκλημα προσῆν. ȣ̓δ' ὡς ἐπ' ἐλέγχῳ πραγμάτων, ὀργή* &c. i. e. ut GVILIELMVS CANTERVS vertit: *Lex autem ſic erat, ut eos, qui caeteris antecellerent, capite minuerent, in annos decem ablegatos. Nec aliud aderat crimen, neque, quaſi convicta res eſſet, ira. Indignum ſit ergo, ſi eos, quos nec ipſi poterant, qui eiecerunt, reprehendere, nos iſtorum cauſam reprehendamus, ut qui nihil certi ſciamus, ſed rumorem quendam, eumque obſcurum, accuſemus* 3. Praeter rem igitur et ius SVIDAS dixit: *Οἱ κακȣργότατοι τῷ δήμῳ ἐξωϛρακίζοντο, καὶ κατεδικάζοντο. Sceleratiſſimi a populo per oſtraciſmum relegabantur et iudicabantur.* In qua falſa opinione fuit quoque BAPTISTA PIVS *Annotat. poſter. c.* 91. *apud Gruter. in Theſ. Crit. Tom. I. p.* 495. Quanto melius ARISTOPHANIS SCHOLIASTES *in*

a) *Boecler. Not. in Corn. Nep. Cimonem c. 1.*

in Equitibus loc. c. indeque HESYCHIVS et VARINVS, qui notanter efferebant: Οἱ κακονέστατοι τῷ δήμῳ δοκοῦντες ἐξωστρακίζοντο, qui ſcilicet ſaltem *populo videbantur tales.* At vero, quod praeter virtute praeſtantes legimus, etiam flagitioſum hominem, *Hyperbolum*, teſtula collabefactatum fuiſſe, id evenit non florente ὀστρακισμῷ, verum ad interitum ruente. Is enim *Hyperbolus*, homo non virtutis, ſed improbitatis magnitudine intolerabilis, cum per ὀστρακισμὸν eiectus fuiſſet, hanc rem adeo iniquo animo tulit populus, ut iudicium ὀστρακισμοῦ nullum poſtea exercuerit. Videatur *antiquitatum obſervator diligentiſſimus, et huius noſtrae aetatis, et bonarum literarum ornamentum et lumen* b), CAROLVS SIGONIVS *de Rep. Athenienſium lib. II. c.* 4. et auctor libri, adverſus Machiavellum ſcripti, *de Rep. lib. III. p.* 356. Quin et ipſemet ARISTOTELES *lib. III. Politic. c.* 9. peccatum huius poenae divitias ſaltem, et multitudinem amicorum, aliamve civilem potentiam fuiſſe arbitrabatur. Inſigniter quoque in hanc rem SCIPIO AMIRATVS *lib. XIV. Diſſertat. Polit.* 3. de genere, differentia et fine huiusmodi poenae ita exorſus eſt: *Vbi viget aequalitas, et tanquam ſummum civitatis, ſive reip. bonum habetur, neceſſario ſequitur, ut, quodcunque aequalitatem illam excedit, id communi bono refragetur. Verum, quia punire hominem propterea, quod nimium virtuti ſit addictus, extrema fuiſſet iniuſtitia, Graeci poenam quandam honeſtatis invenerunt, cuius ſubſidio ſuſpicionem, de aliena virtute iuſte, ſive iniuſte ſuſceptam, reprimerent, quam poenam Athenienſes Oſtraciſmum vocaverunt.* Etſi autem hic ὀστρακισμὸς Democraticae aequalitatis trutina fuerit: nunquam tamen negabitur, invidiae popularis fuiſſe infeſtiſſimum telum. Quapropter et NIC. MACHIAVELLVS *diſcurſ. ad Livium lib. I. cap.* 28. quamvis Romam quoque, ut ingratam adverſus Collatinum et P. Valerium, quos nimia ſeveritate et iniuſta ſuſpicione in exilium eieciſſet, culpaſſet: Athenas tamen illam ingratitudine contra cives vult ſuperaſſe, ex quo

b) *Iaſon Denores in M. T. Cic. Philoſoph. de vita et moribus p.* 97.

quo tempore a Piſiſtrato, ſpecie bonitatis, decepta libertatem perdidiſſet, hac poſtea recepta accerrima vindicatrix exſtitiſſet, non errorum modo, quos cives committere poſſent, ſed et umbrae errorum; unde mors et exilium atque oſtraciſmus excellentiſſimorum hominum, aliaeque violentiae natae fuiſſent, quas contra optimates, diverſis temporibus, exercuiſſent, prout populi, teſtibus ſcriptoribus politicis, maiori ſemper morderent feritate, poſtquam recuperarunt libertatem, quam cum illam conſervarunt. Et fuit ſane apud Romanos quoque relegationis huiuscemodi honeſtioris ſpecies uſitata, ſicuti et apud TACITVM I. *hiſt. c.* 21. de Othone: nec Luſitaniam rurſus aut *alterius exilii honorem* expectandum. Syracuſani vero eodem, vel ſimili iudicio in potentes cives utebantur, et ob easdem cauſſas, quod dictum erat nomine Πεταλισμȣ̃, quia foliis, non teſtis, ut Athenienſes, ſuffragia exſilii darent. PETR. GREGOR. THOLOSANVS *lib. XXII. de Rep. c.* 10. §. 5. et *lib. XIII. c.* 12. §. 10. Qui, cum ὀστρακισμὸν καὶ πεταλισμὸν, adſtipulantibus quoque IOH. MARIANA, BESOLDO *lib. I. Polit. c.* 7. §. 5. MEVIO, *Discurſ. in Tac. lib. I. Annal.* §. 298. LIPSIO, et aliis politicis, probare videatur, nos negativam ſententiam primum adſtruemus, et poſtea aliorum quoque affirmantem deſtruemus.

MEMBRVM IV.

Philoſophica de Πεταλισμῷ *et* ὀστρακισμῷ *perſequens.*

Rationes, ob quas ὀστρακισμὸς καὶ πεταλισμὸς ſit improbandus. 1. Quia omnis, qui ad imperandum a Deo deſtinatus eſt, nec debet, nec poteſt eiici. 2. Quia invidia et malitia virtutem, quae per aemulationem et gloriae ſtudium accenditur, profligare non debet; ubi Epheſiorum quoque lex abſurda, oſtraciſmum et ipſa ſtabiliens, ex ſuis autoribus adiicitur ſimul, et reiicitur. 3. Non ex Reip. utilitate, ſed στασιαστικῶς peracta fuit haec relegatio. 4. Turbae et ſeditiones hinc oriuntur. 5. Cives generoſi propterea offenduntur, et ſponte ſecedunt. 6. Ex praeſtantiſſimis viris ipſa reſp. dignitatem et ornamentum capit. 7. Oc-

Occluditur ita aliis via ad virtutem ſectandam et res magni momenti tentandas. 8. Ipſe eventus docuit, male ceſſiſſe hanc relegationem. 9. Sicuti quoque ipſorum Athenienſium teſtimonium. 10. Inferorum tyranni artificium eſt, ut tollat, et tolli exoptet bonos. 11. Toleratur tamen hic relegationis modus in rebuspubl. depravatis. 12. Quid agendum, ſi boni in remp. peccent. 13. Mali et perverſi homines iure expelluntur. 14. Totius cauſae deciſio.

Sed, ne verbis ſolum attingamus ea, quae volumus oſtendere, proponenda quaedam, quaſi moventia, ſunt, quae nos magis ad cognitionem et intellectum rei ipſius convertant. 1. Principio quidem confiteri oportet, quod TERENTIVS ait *in Eunucho Act. 2. ſc. 2.*

Homo homini quid intereſt? Stulto intelligens?

Quo fit, ut ad imperandum quidam ſint nati, alii vero, ut pareant. Cui divino ordini qui repugnant, merito inter *θεομαχȣ̃ντας* referentur. a) Duplex ea de re eſt epigramma, 76 et 77, PALLADÆ *in Antholog. lib. I. cent. VI.* quod in unum contraximus et ſic vertimus:

Livoris o perverſitatem maximam,
Fauſtum oderit quisquis, quem diligit Deus:
Expreſſe enim ille praeliatur cum Deo,
Livore bilem concipit qui maximam.
Neceſſe enim eſt amare, quos amat Deus.

Ipſe adeo ARISTOTELES *lib. III. Politic. c. 13. f.* b) cenſuit, neque virum virtute praeſtantem patria exigendum, nec ipſi imperandum. Simile enim fuerit, atque ſi imperia partientes ſe Deo imperare poſtularent. Praemiſerat vero ibidem Philoſophus: *Ὥσπερ γὰρ θεὸν ἐν ἀνθρώποις εἰκὸς εἶναι τὸν τοιȣ̃τον.* veriſimile eſt talem tanquam Deum inter homines, ſive *humanum Iovem* eſſe, ut inquit PLAVTVS *in Caſina*

S *Act.*

a) *Vid. Franckenſteinius obſervat. 1. in Sueton. Titum c. 9.*
b) *Vbi conſule omnino* PICCARTVM.

Act. II. ſc. 5. v. 26. Et quia *Deo magis parendum, quam hominibus, Actor. V,* 29. utique prae Caiphae conſilio, cui *praeſtabat unum perire, quam unionem,* plus valet alterum GAMALIELIS in iisdem Actis Apoſtol. *cap. V,* 38. *ſeq. Aut ex hominibus conſilium et opus aliquod eſt, aut a Deo. Si ab illis, ultro diſſolvetur: ſi ab hoc, diſſolvere nequibitis, ne forte et Deo repugnare videamini.* 2. Deinde malum utique eſt in rep., ſi invidiae, matri fraudis, calumniae et odii frena laxentur, atque malitia virtutem profliget, hominesque, et conſilio et praeſtantia magni, odio habeantur. Pro virtute vero ducetur, ſi aemulatio, ſimpliciter animo propter laudis cupiditatem inſita, nec ad invidiam delabatur, nec ad ἀναλγησίαν, ἐφ᾽ ἧς οὐ δέον, animo languenti declinet, ſed; medium tenens, fructum pariat animoſitatis atque φρονήματος, ad virtutem impellentis, ex conſilio quidem et *praecepto regiae educationis MANVELIS viceſimo quarto.* Et addidit rationem *THEMISTIVS orat.* 3. *Homo ita natus eſt, ut, quae cum certamine et aemulatione quadam perfici debent, eadem omni nervorum contentione curet: quae vero facillime absque aemulatione efficiuntur, ea etiam cum quadam negligentia oſcitantiaque peragat; adeoque inertia et ignavia animos noſtros complet, quicquid omni caret adverſario..*

—— Ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων,
Εἰς ἄφενον σπεύδοντ᾽.. Ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις ἥδε βροτοῖσι.

ut HESIODVS I. ἔργ. cecinit. Multa, praeter haec annotatione digniſſima, ad hanc aſſertionem noſtram ſtabiliendam, ex accurata et maxime luculenta *oratione* DN. GVILIELMI MECHOVII, quam *de aemulatione, qua iuventus accendi debeat,* conſcripſit, afferri poſſent; ſed ea brevitatis ſtudio inviti praetermittere cogimur. Ac vero, dempta virtuoſa optimorum et praeſtantiſſimorum quorumvis contentione, occluditur omnino virtutibus via, et ad maiora audenda excelſis ſpiritibus animus frangitur, ut non niſi plebeiae animae remp. regendam capeſſant, nobiliores vero luxu obtorpeſcere oporteat, niſi et ipſi exigi et proſcribi velint. Conſequenter ipſa vir-

virtus paulatim ex civitate in exſilium pellitur, et, ut apud *Epheſios*, abſurda eiusmodi lex introducitur, ne quis am plius frugi bonusve et praeſtans ſit; ſed, ſi quis talis, alibi et apud alios degat. Vel, ut in Graeco eſt: Ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνήϊϛος ἔϛω. εἰ δέ τις τοιῦτος, ἄλλοτε καὶ μετ᾽ ἄλλων. Vnde ſtoliſſime quoque et minus quam pueriliter ab iisdem Epheſiis factum proclamabat HERACLITVS, quod Hermodorum, praeſtantiſſimum ipſorum, expuliſſent, dignos eos iudicans, ἡβηδὸν ἀποθανεῖν, καὶ τοῖς ἀνήβοις πόλιν καταλιπεῖν, *qui cum pube univerſa exſtinguerentur, et civitatem impuberibus relinquerent.* Quod de his adhuc ſpes aliqua eſſe poſſet, arbitror, quae iam de iſtis conclamata eſſet, qui ſui iuris cum eſſent, tamen nec rerum ſuarum modum ullum, nec virtutis, aut prudentis regiminis aliquam haberent rationem, ut nihil boni ab illis proficiſci, aut doceri quicquam recte poſſet. Vt bene quoque IOH. BARCLAIVS *in Satyrico* de ſimili negotio dixerit: *Nullus erat, quem non vitia temporum traherent, ut Epheſi natos diceres, ubi oportuit neminem excellere. Pueri, his magiſtris uſi, nihil aliud diſcebant, quam non ſapere.* Video vero ſugillare quosdam CLAPMARIVM, qui *lib.* 4. *de arcan. Rerump. c.* 17. legem Epheſiorum, ſed ſine autore, attuliſſet; puto, quod notiſſimam omnibus fore conſideret, utpote quae a TVLLIO *lib. V. Tuſcul. ſ.* et DIOGENE LAERTIO *in Heraclito* prolata ſit. 3. Cum autem ad amoliendam unius alicuius, populo metuendi et ſuſpecti, potentiam excogitatus fuerit huiusmodi ὀϛρακισμὸς καὶ πεταλισμὸς, neſcio ſane, an non maiori tyrannide ſuſcipiatur; veluti olim Diogenes faſtum Platonis calcabat, ſed maiori faſtu. Certe ipſemet PHILOSOPHVS *loc. cit.* teſtatur, non factum iſtud fuiſſe in civitatibus, propriae reip. utilitatem ſolum ſpectantibus, ſed ϛασιαϛικῶς uſurpatum fuiſſe ὀϛρακισμόν. Licet enim factioſus populus metum tyrannidis praetexeret, revera tamen magnorum virorum virtutes non admirabatur, ſed ſuſpectas habebat, neque eas magis in comparatione ſui tolerare, quam lippus ſo-

 lem,

lem, poterat. c) Iam ſeditioſae populi factiones, ductoribus malitioſiſſimis quibusvis, ſaevius multo plerumque, et ipſi reip. nocentius agunt, quam unius alicuius, eiusdemque optimi et excellentiſſimi hominis dominatus. Nam et *apud Syracuſanos et Atticos eo res deducta fuit, ut πεταλισμῷ et ὀστρακισμῷ non ad inaequalitatem corrigendam, ſed ad inimicitiam exercendam abuterentur*, uti dictum locum Ariſtotelis exponebat ZVINGERVS. 4. ARISTOTELES *lib V. Polit. c.* 3. a viris excellentibus ſeditiones, ob metum poenarum, commoveri ait, vel, ſi ſuſpicentur, futurum, ut iniuria afficiantur. Volent enim antevertere et occupare prius, quam iniuſte laedantur. Sicuti Rhodi nobiles in populum coierunt, et conſpirarunt, propter iudiciorum et poenarum, quae intentabantur, metum. Enimvero plerumque id efficit plebis contumacia, ceu compertum eſt, ut eminentes proſcripti, praeſertim ambitioſi et iniuriae impatientiores, hoſtibus ſe applicantes, inſtrumenta ſe praebuerint opprimendae et evertendae patriae. De quo argumento pleni ſunt commentarii tam hiſtorici, quam politici, ut non opus ſit omnia producendo actum agere. Diffundit ſeſe in hoc campo vir civili prudentia quam maxime inſignis, CHRISTOPH. FORSTNERVS *Not. Politic. in lib. II. Annal. Tac. p.* 136. *ſeq.* et PICCARTVS *in Ariſtot. Politic. lib. V. c.* 3. *p.* 677. *et lib. V. c.* 7. *pag.* 731. Siquidem incidunt aliquando eiusmodi tempora, ut illi eiecti e civitate poſſint ulciſci iniuriam, et creare periculum civitati, quae ipſos a ſe removiſſet. Hoc igitur timere Ariſtotelem puto, et praeterea non probari eidem arbitror, ut innocens civis ea poena afficiatur, qua improbiſſimi homines affici ſoliti ſunt. v. LIBANIVS *pag.* 729. ſ. Quid? quod generoſis mentes, et quibus meritorum ſuorum in cives ratio bene conſtat, cum ſe ſubroſtranis hominibus inviſos et moleſtos eſſe cognoverint, nec tamen, ob ſumma, quae inde ad pa-

c) *Vid. auctor libri adverſus Machiavell. de Politia lib. III. pag.* 356.

patriam redundant, incommoda, turbulenter quicquam facere voluerint, videmus quidem ingrati animi vitio offendi, ſed tamen omnem adhibere operam, ut invidiam reſtinguant, vel, ſi id περὶ τῶν ἀδυνάτων fuerit, voluntario exceſſu nonnunquam, crebrius ſeceſſu denegare et ſubtrahere ſe indignis malint, quam pertinacius reſiſtendo remp. in diſcrimen vocare. Cum quibus merito ex HORATII *epiſt.* I. *lib. II.* exclamandum eſt:

Romulus et Liber Pater, et cum Caſtore Pollux,
Poſt ingentia facta, Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumq; colunt genus, aſpera bella
Componunt, agros aſſignant, oppida condunt:
Ploravere ſuis non reſpondere favorem
Speratum meritis. Diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore ſubegit,
Comperit invidiam ſupremo fine domari.
Vrit enim fulgore ſuo, qui praegravat artes
Infra ſe poſitas: exſtinctus amabitur idem.

Inde ergo ut invidam effugerent, ſponte virtuoſi quidam patriam mutarunt, et ita illi acceptam ignominiam non curarunt. Apud CICERONEM *ad Att. lib. I. epiſt.* 13. *Illud nobis non obeſt, videri noſtrum teſtimonium non valuiſſe, miſſus eſt ſanguis invidiae ſine dolore.* Et Appius, decemviratu abiturus, apud LIVIUM *lib. III. c.* 4. *Dandus invidiae eſt ſanguis.* Sic odio ingratae civitatis coactum *Scipionem Africanum* Linternum conceſſiſſe, et, cum moreretur, ne funus ſibi in ingrata patria fieret, edixiſſe ſed monumento ſuo haec verba inſcribi voluiſſe: INGRATA PATRIA NE OSSA QVIDEM MEA HABES; apud VALER. MAX. *lib. V. c.* 3. §. 2. et LIVIUM *lib. XXXVIII. c.* 50. *ſeq.* legimus. Eandem ob cauſſam ſeceſſerunt, et extra patriam, nullo eius deſiderio affecti, egerunt *Camillus* Ardeae, *Iphicrates* in Thracia, *Conon* in

Cypro, *Timotheus* in Lesbo, *Chabrias* in Ægypto, *Chares* in Sigaeo. d) Sic ante hos trecentos annos et quod excurrit, *Dantes Aligherius*, cum aemuli laude illius dolerent, et de dignitate detraherent, patriam reliquit, et aliquandiu in almam hanc Lipſiam ſeceſſit. Luculente hiſtoriam eius in publico programmate ſuperiori anno exſecutus eſt ampliſſimus PRAESES noſter. Sic ſeceſſerunt *Nicolaus Capponus* et *Bernhardus Cabrera*, uti refert FÖRSTNERVS *Not. Politic. in Tac. p. m.* 427. Inſigne quoque exemplum in *Ioh. de la Bella* recitat MACHIAVELLVS *lib. II. Hiſt. Florent. p.* 78. Sic *Cardinalis Richelius*, anno huius ſeculi XXVI. cum ob potentiam, gloriam et auctoritatem, qua pollebat apud regem Galliae, implacabile procerum in ſe odium augeri, ſibique inſidias ſtrui perſpiceret, dimitti volebat ex aula. Vid. *Miniſterium Cardinal. Richelii et Mazarini. lib. III. c.* 13, cum obſervat. politicis. Adeo vera eſt nitidiſſima nitidiſſimi ſcriptoris, CORNELII NEPOTIS, *in vita Chabriae* ſententia. *Eſt hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriae comes ſit, et libenter de iis detrahant, quos emergere vident altius, neque animo aequo pauperes alienam opulentum intuentur fortunam. Itaque omnes fere principes, quoad eis licebat, Athenis aberant, quod tantum ſe ab invidia putabant futuros, quantum a conſpectu ſuorum receſſiſſent.* 6. Et quis erit tam perfrictae frontis, qui negare audeat, ipſam reip. praeſtantiam ac dignitatem ex illuſtribus viris dignoſci? Nam cum finis ultimus civitatis ſit beatitudo, quae eſt operatio ſecundum virtutem optimam, ſequitur, quo eminentiores virtutes, eo feliciorem eſſe ſtatum civitatis. Latius hoc deducit Philoſophus, ubi deſcribere incipit optimam remp. et illorum ſententiam explodit, qui putant ſufficere ad ſalutem reip. aliquantulum virtutis. Vrget potius bene vivendi facultatem datam eſſe maiorem iis, qui morum et animi viribus et virtuti-

---

d) *Vid. Volaterran. lib. XXXI. p.* 1166. *et praecipue* PICCARTVS *Obſervat. Hiſtorico Polit. Decad.* 12. *c.* 8.

tutibus egregie, καὶ εἰς ὑπερβολὴν, ſupra modum, ſunt exornati. Pertinet huc elegans SALVSTII dictum, *Orat.* I. *ad C. Caeſ. de rep. ordinanda*, c. I. *Plerique rerum potentes perverſe conſulunt, et eo ſe munitiores putant, quo illi, quibus imperitant, nequiores fuere. At contra id eniti decet, cum ipſe bonus atque ſtrenuus ſis, uti quam optimis imperites. Nam peſſimus quisque aſperrime rectorem patitur.* Cuius ſententiae rationem reddit DIO CASSIVS, ſub perſona Maecenatis, Lib. LII. Neque metuendum, ne quis probe educatus inſtitutusque, conſilium convellendi ſtatus publici ſit initurus. Quin imo id a nulla diſciplina expolitis et flagitioſis hominibus metuendum eſt. Hi enim facillime eo adducuntur, ut turpiſſima ac peſſima quaeque in ſe et ſuos ſtatuant. Et veriſſimum illud PLAVTI *in Melite*: *Facile eſt imperium in bonos.* Habemus egregiam hac dere obſervationem apud MATTH. BERNEGGERVM *Quaeſt. Miſcellan. in Tacit. Germaniam* 171 f) Et ſane, quantum emolumentum viri omni virtute conſpicui reip. afferant, vel ex eo intelligitur, quod inter miſerias et calamitatem urbis Hieroſolymae IEREMIAS *Lamentat. cap.* I. referat, *quod Deus abſtulerit et contriverit fortes et magnificos de medio eius.* Et rurſus optime PLAVTVS *in Amphitr. Act. II. ſc.* 2. *Virtus praemium eſt optimum, virtus omnibus rebus anteit profecto. Libertas, ſalus, vita, res, parentes, patria et prognati tutantur et ſervantur. Virtus omnia in ſe habet: Omnia aſſunt bona, penes quem eſt virtus.* 7. Quod ſi viri eminentes ſpernantur, nec pro meritis illis gratia habeatur, eo ipſo alii absterrentur, ut quidvis potius ſuſcipere malint, quam ad virtutem et dignitates adſpirare, ut vere dixerit SENECA, tragicus, *in Thebaidos fine*:

Regnare non vult, eſſe qui inviſus timet.
Simul iſta mundi conditor poſuit Deus,
ODIVM atque REGNVM. Quod

f) *Vid. Ariſtot. lib. I. Ethic. c. 1. 2. et lib. VI. c. 8. lib. I. Politic. c. 2. lib III. cap. 6. 9. 13. lib. IV. c. 4. lib. V. cap. 11. et Piccartum in pleraque loca.*

Quod ipſum deterruit *Cippum Genutium*, ne faſces imperii ſuſciperet, apud VALER. MAX. *lib. V. c.* 6. et OVID. *Metamorphoſ. lib. XV. fab.* 49. Digna, quae hic evolvantur, habet MATTHIAS BERNEGGERVS *ad Sueton. Tit. c.* 1. *nota f.* quae tamen hic adſcribere ſuperſedemus. 8. Porro ipſe ὀστρακισμȣ͂ καὶ πεταλισμȣ͂ exitus, qui acta probat, oſtendit, quod maiora damna hoc ipſo exſilio, quam commoda ad remp. redundarint. Siquidem hoc inſtitutum non modo Syracuſis, ſed etiam Athenis diuturnum non fuit, nec perpetuo floruit. Nam quod Syracuſas attinet, cum ibi urbis columina potiora, lege πεταλισμȣ͂, in exſilium mitterentur, ii, qui in urbe ſupererant, et reip. gerendae idonei erant, ne et ipſi darentur exſilio, urbem et magiſtratum ultro deſeruerunt. Quo effectum eſt, ut in audacium, et temerariorum, atque imperitorum, peſſimorumque hominum poteſtatem reip. ſumma transferretur; atque hinc incommoda et pericula ſequerentur maxima. Cum enim ignaviſſimi quique ad reip. gubernacula admoverentur, longe maiores mutationes et ſeditiones, ex peſſima adminiſtratione eorundem, ſunt exortae, quam unquam antea factum fuerat, viris excellentiſſimis remp. adminiſtrantibus. Quibus permotus populus, ut ad capeſſendam remp. redirent optimates, πεταλισμὸν plane abrogavit. Quo facto ſatis quietam civitatem exſtitiſſe, conſenſus auctorum docet. g) Nec minus ipſi Athenienſes, cum, Nicia et Ariſtide inter ſe contendentibus, ὀστρακισμὸν degenerare perſpicerent, nullum poſt ea tempora exercuerunt. Adi CAR. SIGONIVM *de Rep. Athenienſium lib. II. cap.* 4. 9. Qui etiam ibidem memorat ANDOCIDEM, cum adverſus Alcibiadem de ſententia ὀστρακισμȣ͂ orationem conſcripſiſſet, eo usque dicendo progreſſum eſſe, ut eum, qui primus

---

g) *Ante omnia conſulendus* DIODOR. SIC. *lib. XI. p.* 66 FAZELL. *Decad prior. lib. IV. c.* 1. *p.* 86. *et* Decad. *poſter. lib. I. c.* 4. *p.* 245. CLAVD. MARIVS ARETIVS *Chorogr. Sicil. p.* 580. VBBO EMMIVS *Vet. Graec. Tom. III. de Rep. Syracuſana.*

mus ὀστρακισμὸν introduxiſſet, contraria ſolemni populi ſenatusque ſacramento tuliſſe dixerit. Sacramento enim contendere tam populum, quam ſenatum oportebat, ſe neminem civium, indicta cauſſa, aut ex civitate exacturos, aut capite multaturos. Quod ipſum iuramentum in ὀστρακισμῷ quam maxime violabatur, ubi illi, quos virtutis opinione, populi favore, clientelis, aut alia quadam civili facultate excellere inter reliquos intelligerent Athenienſes, iure, vel iniuria, vel accuſati, vel defenſi, civitatis adſpectu atque fructu, ad certum temporis intervallum, ſpoliabantur. 10. Quod ſi haec omnia, quae a nobis relata ſunt, quempiam nondum convicerint, is quaeſo cogitet, hoc maximum ipſius inferorum tyranni eſſe artificium et unicum ſtudium, ut homines, virtuti dediti, ſtirpitus tollantur, nec nimium potentes evadant. Et ſane, ſi exſilium potentium et excellentium approbaremus, ſceleribus et machinis exquiſitiſſimis Lernaeae Pontificiorum et Ieſuitarum maxime propagini locum daremus, quorum odium in nos Evangelicos ita ardet, ut prius animam, quam id ſint depoſituri, imo hoc inter ſe nocte dieque commentantur, et omnem operam, conſilium, ſtudium, induſtriam adhibent, ut potentiores noſtrorum paulatim e medio tollant, et poſtmodum omnes uno impetu adoriantur et opprimant. Exempla (proh dolor!) habemus infinita, et ea, quae hodie Sileſiam, Bohemiam et Moraviam premit, calamitas toti terrarum orbi id notum facit. Abſit tantum ſcelus a natione Chriſtiana. Vſurpet ſibi hoc Ottomannica ſoboles, et, ſanguinem et interitum virorum virtute praecellentium ſitiendo, et quietem ex ipſorum ſublatione quaerendo, crudelitatem ſuam expleat. 11. Caeterum modos et media tollendi illos, quorum virtus caeteros obſcurat, concedimus quidem reip. ſed non niſi depravatae, cuius in regno libido ſolutior exiſtit. Siquidem ipſe ARISTOTELES h) *Politic. lib. III. c.* 13. in monſtroſis et depravatis re-

T rum-

h) *Vid. hic Piccartus p.* 451.

rumpublicarum formis, quas *παρεκβάσεις* vocat, haec ita fieri aſſeruit. Non vero eodem modo in rectis, communeque bonum, non privatum, ſpectantibus uſu venire iſtud largiebatur. Concluſitque tandem ipſe dicto loco: *Ἐν μὲν οὖν ταῖς παρεκβεβηκυίαις πολιτείαις, ὅτι μὲν ἰδίᾳ συμφέρει καὶ δίκαιόν ἐστι, φανερόν. ἴσως δὲ καὶ ὅτι οὐχ ἁπλῶς δίκαιον, καὶ τοῦτο φανερόν.* 12. Id vero nunquam inficiabimur, malos et perverſos homines recte et iuſte expelli. Quemadmodum quidem contigit in Gallia *Baradae*, apud regem ſuum non parum potenti, qui, cum eius animo et benevolentia abuteretur, eique imperare vellet, ab aula remotus eſt, anno huius ſeculi XXVI. Vid. *Miniſterium Cardinalis Richeli et Mazarini lib. III. c.* 24. cum obſervatis politicis. 13. Quod ſi etiam nonnunquam contingat, ut ipſi boni crimine adverſus remp. ſe alligent, tunc maxime attendendum eſſe arbitror conſilium ARISTIDIS, *loc. cit. Tom. III. p.* 401. quod dicit, *Περικλέα δὲ καὶ Μιλτιάδη, ὁ μὲν δῆμος, οὐδὲν οὔτε μεῖζον, οὔτ᾽ ἔλαττον ἔδρασε κακόν.* &c. Periclem et Miltiadem a populo Athenienſi nec gravi, nec levi ulla affectos eſſe iniuria, ſed utrosque pecunia fuiſſe multatos, et nihilominus, cum haec accidiſſent, Periclem rurſum a toto populo ducem creatum, et omnium rerum curam ei commiſſam fuiſſe. 14. Dies me deficeret, ſi velim principum et excellentium cauſam defendere. Rem iam apertam eſſe exiſtimo, et pietas omnes admonet, quod illi potius ſint ferendi et in honore habendi, quam tollendi, et in exſilium pellendi. Melius ſane eſt arcanum, quod *Livia* marito ſuo inculcabat, quo etiam ſummos viros in officio continuit, quam omnium (ut barbaro vocabulo, in barbaro hominum genere, uti liceat) Statiſtarum. *Neque etiam fieri poteſt, neque, ſi poſſet, iuſtum eſſet, ut invidi et ingentes ſpiritus in ignaviam ſervilem, conſiliorum promptitudo in ſtuporem mutetur,* inquit eadem apud DIONEM *lib. LV. p.* 558. Rectiſſime igitur HADRIANVS IVNIVS *lib. V. Animadverſor. c.* 18. *ὀστρακισμὸν malignae legis arbitrium* vocavit; et FORSTNERVS *Not. Politic. in Tacit. Annal. p.* 152. *cautionem profecto minus*

ho-

honeſtam. IACOBVS vero ZEVECOTIVS, cum *obſervat. Polit. in Flor. lib. I c.* 7. enarraſſet ſententiam ARISTOTELIS, qui *lib. V. Politic. c.* 10. dixerat, expedire quandoque, ut excellentia ingenia ſuſpicionibus premerentur contunderentur et tollerentur, vel ſaltem in alium locum ſepoſiti libertati nocere, aut reip. ſtatum immutare non poſſent, ſubdidit tandem: *Ad huius opinionis membra omnia tuenda quaerat Machiavellum aliquem Ariſtoteles: Ego tam impia nunquam tuebor.* Nec praetermittendus eſt *puri et inſignis iudicii politicus*, vel ipſo BESOLDO, *lib. I. Politic. c.* 7. §. 5. *f.* teſte, qui tamen contrariae opinioni favere videtur, PAVLVS BVSIVS, qui etiam *Disp. Politic.* 14. *th.* 26. *et* 28. ὀστρακισμὸν in rep. bene conſtituta non tolerandum eſſe evincit. i) Vltimo loco producimus virum doctiſſimum, IOH. HENRICVM BOECLERVM, cuius *Programmat. Academ. p.* 33. haec ſunt verba: *Voluminis, quantumvis magni, excedit menſuram, ſi quis oſtendere inſtituat, quanta flagitiorum copia uno nomine involvi progreſſu temporis coeperit. Profecit oſtraciſmus iſte Democraticus, mirifica foecunditate, in oſtraciſmos aulicos, ſenatorios, curiales, militares, privatos, publicos, gentiles; ſacros, profanos; manifeſtos, arcanos, mixtos; ſpecioſos, crudeles; et quis omnia formarum genera titulis exprimat, quibus toto paſſim orbe iſte ludus*

Luditur, et ludetur in omne volubilis aevum.

Et paulo poſt, iterum ad ὀστρακισμὸν ſtylum vertens, dicit: *Ea ſive ars, ſive monſtrum, ex hominibus aſinos, ex aſinis homines, ex praeſentibus abſentes, ex vivis mortuos, et contra, facit, an fecit, an utrumque?*

MEMBRVM V.

Philoſophica perficiens.

1. Impia eſt ſententia *Marianae*, qui ὀστρακισμὸν probat. 2. Peſſimum *Antonii de Leva* conſilium. 3. Et *Clapmarius* fallitur. 4. Idem ſentitur de ſummo viro *Lipſio.* 5. Tyrannorum eſt tollere excellentes

 ſub-

i) *Confer omnino* CASI *ſphaeram civitatis lib. III. c.* 9.

ſubditos, non bonorum principum. 6. Non obſtat monitum Periclis. 7. Nec quod relegatio iſta dicatur medicina. 8. Medicina non tam viri excellentes, quam vulgus ipſum indiget. 9. Quomodo nimiae potentiae ſit occurrendum.

Ioh. MARIANA, Hiſpanus, caedis tyrannorum revocandae author, *lib. I. de regni et regis inſtitutione*, etiam illarum rerumpubl. morem probat, quae viros prae caeteris excellentes exſilio multabant, iniquum exiſtimantes, legibus eos cum caeteris exaequare: rurſusque exitiale reip. cernentes, ſi eſſent in ea, qui plus privatim, quam publice leges poſſent; cum ineptum ſit, illigare legibus, quem, armis et viribus aliisque praeſidiis ſeptum, metu ſupplicii et iudiciorum coercere non poſſis. Non impenſe improba tantum, ſed etiam plane abſurda eſt haec MARIANÆ ſententia. Abſurda, inquam, et improba, quae tamen tantas hodie in animis Pontificiorum radices egit, ut exſtirpari a bonae mentis politicis difficulter poſſit. Vid. CASPARVS ZIEGLERVS, *Exercitatione III. circa regicidium Anglorum*, p. 61. *ſeq.* 2. Haec ſumma perverſitas occupavit etiam *Antonium de Leva*, de quo IAC. ZEVECOTIVS *obſervat. polit. in Sueton. Iul. c.* 12. *p.* 34. narrat, quod, cum imperatoris ſui, Caroli V, partes Mediolani adminiſtraret, horrendum hoc conſilium eidem dederit, ut ſpecioſo aliquo praetextu in omnes Italiae principes paulatim ſaeviret, eorumque ditiones Hiſpanico imperio adiiceret: cumq; et Dei iudicium, et animae interitum peſſimo conſultori oppoſuiſſet Caeſar, audiit ab impio homine, aut animae, aut imperii curam eſſe abiiciendam. 3 Nec minus fallitur ARNOLDVS CLAPMARIVS, qui, ut ſpeciem quandam ſuae ſententiae conciliaret, uſus eſt ſimili quodam, *l. II. de Arcanis Rerump. c.* 11. Cum enim videret plurimos in potentibus evertendis eo progredi, ut etiam optima quaeque obvia tollant, dixit: *Medicorum ſcitum eſſe, per emiſſionem ſanguinis plurimum etiam boni ſanguinis eiici atque effundi; expedire tamen, niſi quis voluerit vitae periculum ſubire*, et eodem modo ὀστρακισμὸν, ut iniquus ſit, utilitate tamen publica rependi. Sed reſpondemus, illos, qui uti-

utilitate potius quam honeſtate omnia metiuntur, ſolide iam ab omnibus ingenuis philoſophis refutatos eſſe. Quod autem attinet emiſſionem ſanguinis, certum eſt, eam a validis et incolumibus non uſurpari, ſed ab iis, qui vel ſint iam infirma valetudine, vel eam metuant et extimeſcant. Eodem modo relegatio optimorum, non a bene conſtitutis, ſed depravatis rebus publicis adhibetur. 4. Et ipſe quoque IVSTVS LIPSIVS, *regius profeſſor et hiſtoricus annis pluribus Lovanii*, cum principi in politicis ſuis praeceptum iſtud, VRE, SECA, dediſſet, concitavit in ſe iſtos dialogorum editores, qui eum graviſſimis ſententiis oppugnarunt. Idem, ſi nobis de tanto viro iudicare fas, minus recte informat principem e ſchola Tiberii, minusque recte arcana dominationis inſtillat, dum *lib. III. Politic. c.* 10. *n.* 18. dicit: *Tiberiana cautio non de nihilo, qui nec eminentes virtutes ſectabatur, et rurſum vitia oderat, ab optimis periculum ſibi, a peſſimis dedecus publicum metuebat*, quae verba ſunt TACITI *lib. I Annal. c* 80. §. 4. In eum igitur ſtatum ſub Lipſiano aliquo principe redigemur, ut exclamandum ſit cum Corbulone ex TACITO *lib. XI. Annal. c* 20. §. 1 *Beati quondam viri illuſtres!* 5. Illuſtremus haec memorando Hieronis dicto, ad Simonidem, in XENOPHONTIS *Hierone*: *Γινώσκουσι μὲν γὰρ οὐδὲν ἧττον οἱ τύραννοι τῶν ἰδιωτῶν τοὺς κοσμίους γε καὶ σοφοὺς, καὶ δικαίους, τούτους δ' ἀντὶ, τοῦ ἄγασθαι, φοβοῦνται. τοὺς μὲν ἀνδρείους, μή τι τολμήσωσι τῆς ἐλευθερίας ἕνεκεν. τοὺς δὲ σοφοὺς, μήτι μηχανήσωνται. τοὺς δε δικαίους, μὴ ἐπιθυμήσῃ τὸ πλῆθος ὑπ' αὐτῶν προστατεῖσθαι: Non minus norunt tyranni, quam privati homines, quinam egregii viri ſint, et ſapientes, et iuſti: ſed, cum eos ſuſpicere deberent, metuunt: fortes quidem, ne quid libertatis cauſa audeant; ſapientes, ne quid artificioſe moliantur; iuſtos, ne plebs eos ſibi praeeſſe cupiat.* Hinc apparet, tyrannorum eam curam eſſe, non boni principis. Aliud egerunt optimi imperatores *Marcus Antoninus*, de quo legendus HERODIANVS, *lib. I. c.* 2. et *Alexander Severus*, de quo idem HERODIAN. *lib. VI. cap.* 1. et inprimis LAMPRIDIVS *in eius vita* conſulendus.

T 3 Hu-

Huius quoque integritatis et pietatis facit *Iulianum* conſularis ille MAMERTINVS *in Panegyrico.* Cui adiungendi *Philippus Macedo* eiusque filius, *Alexander Magnus*, ſub quibus tantae virtutis ac venerationis exſtiterunt viri, ut ſingulos reges putares, narrante IVSTINO *lib. XIII. cap.* 1. Horum plerique viros excellentes non ex aula proſcripſerunt, aut ſuſpectos habuerunt, ſed ſanctiſſime coluerunt. Hinc etiam PLINIVS iunior optime diſtinxit inter *dominum* et *principem*, quando *Traianum* ſuum ita effert: *Tu amicos ex optimis legis: et hercule aequum eſt, eos eſſe chariſſimos bono principi, qui inviſi malo fuerint. Scis, ut diverſa natura dominatio et principatus.* &c. Vide eundem *d. l. c.* 44. et 69. Quo factum eſt, ut et PLATO *lib. VIII. de Rep. f.* et ARISTOTELES *lib. V. Politic. c.* 11. fraudes illas inter artes ſtabiliendae tyrannidis retulerint. 6. Nec contrariatur *Periclis* conſilium, qui apud VALER. MAX. *lib. VII. cap.* 2. et CLAPMAR. *de Arcan. Rerump. lib. II. cap.* 11. ſuadebat, ut nobiles et concitati ingenii iuvenes refrenarentur; cum aliud ſit ferocium iuvenum laſciviam comprimere, aliud viros prudentes coercere. 7. Solitum eſt hoc delinquentibus, ut vitia ſua diſſimulent, imo iis virtutis ſaepe ſumant amictum, & faſtuoſe ſuperbiant. Sic avaritiae nemo facile in ſe ſuſcipiet vituperium, proximo ad parſimoniam digreſſu. Sic prodigalitas mutuabit ſpecioſum a liberalitate pallium. Quod ipſum etiam in ὀστρακισμῷ καὶ πεταλισμῷ nonnullos feciſſe exploratum habemus. Miror autem magnopere, quod imbui mentes hominum doctorum huiuſmodi pravitatis erroribus poſſint. Enimvero cum non modo ARISTOTELES *ἰατρείαν in malis* vocaverit ὀστρακισμὸν, verum etiam PLVTARCHVS *medicinam*, cuius ope ad expurgandam civitatem conſtituto tempore populus uti ſolitus fuiſſet, per bonam quidem conſequentiam, tametſi non διαῤῥήδην, dixerit, male agunt ii, qui tam audacter hoc *e vita Niciae* allegant, cum potius AMIRATVM, iſta ita proferentem, laudare debuiſſent. PLVTARCHVS enim *in Themiſtocle* ita ſcriptum reliquit, quod ὀστρακισμῷ uſi ſint κα-

θαι-

θαιρέσαντες τὸ ἀξίωμα καὶ τὴν ὑπεροχὴν, dignitatem eius et excellentiam expurgantes, qui emineret. Ergo pro καθαρτικῷ medicamento, ſeu purgandi vim habente, accepit, quo e corpore politico expelleretur, quicquid ipſum debilitare, vel in discrimen adducere poſſet. Et idem *ibidem* pro διαφορητικῇ habuit demulcentia, ſeu παραμυθία φθόνε καὶ κεφισμῷ cucurbitularum, quo odium adverſariorum ἀποπνεῖν et transſpirare, laxata cute, valeret. Sicuti autem *pharmacum* utrumque denotat, *venenum* pariter et *medicinam*: ita πεταλισμὸν potius *virus invidiae*, quam *remedium* nimiae *potentiae* ſalutandum arbitror. Nam et ſic iterum PLVTARCHVS *in Alcibiade* de ὀστρακισμῷ, *quo genere exſilii ſubinde cives gloria et potentia praeſtantiores premebant*, παραμυθέμενοι τὸν φθόνον μᾶλλον, ἢ τὸν φόβον, *invidiae magis, quam metui conſulentes.* Obiter hic adiicio, quod GERH. IO. VOSSIVS *de Hiſtoricis Graecis lib. II. c.* 10. referat, Theodorum Gazam interrogatum aliquando eſſe, ſi neceſſe foret, omnes omnium generum libros in mare coniicere, quem poſtremo eſſet demerſurus, reſpondiſſe, PLVTARCHVM. Sed redeat, unde aberravit oratio! Idem PLVTARCHVS iterum *in Ariſtide*, quem pari modo in exſilium pellebant Athenienſes: Ὄνομα τῷ φθόνῳ τῆς δόξης φόβον τυραννίδος θέμενοι, *gloriae invidiam, metum tyrannidis nomine praetexentes.* Item *in Themiſtocle:* ſupplicii genus non fuit ἐξοστρακισμὸς, ſed invidiae adverſariorum quodammodo ſatisfaciebat, eamque mitigabat, cum, excellentes deprimendo, voluptas aemulis afferretur *odiique venenum* (ut AMYOTTVS reddidit) *per hanc ignominiam velut exhalaret.* Hinc etiam CHRISTIAN·FRIDERICVS FRANCKENSTEINIVS, *Exercitat. MS. in Corn. Nep. Dionem th.* 8. dixit de Syracuſanis, *quod* illis *petaliſmus, quem reip. a tyrannide praeſervandae, ad modum Athenienſis oſtraciſmi, reperiſſent, poſtquam in remedium inventus fuerat, ceſſerit in venenum.* Quemadmodum vero medicina vetus hodiernis moribus et morbis non usquequaque convenit: ita nec πεταλισμὸς, quia non niſi rudi iſta χειραγωγίᾳ illud VRE, SECA, exercebatur. Apud Syracuſanos

ſanos enim ipſe quoque *Dionyſius Siculus*, *medicinae*, iuxta ÆLIANVM *Var. Hiſt. l. XI. c.* 11. *operatus*, αὐτὸς καὶ ἰᾶτο, καὶ ἔτεμνε, καὶ ἔκαε, καὶ τὰ λοιπὰ, *ipſe curationes*, *et ſectiones*, *et uſtiones*, *et reliqua faciebat.* 8. Illud vero vel maxime notandum, non tam viros excellentes, quam ipſum non raro vulgus medicina ſingulari indigere, quod et ipſe *Dio* apud PLVTARCHVM *in vitis*, de his πεταλισμȣ̃ uſurpatoribus indicavit. Nam cum Plato quidem, a Dionyſio in Siciliam vocatus, Dionis exhortationibus incitatus obtemperaſſet, ſperans ſe uno Dionyſio, ut principe parte, expurgato, totius Siciliae morbum ſimul ſanaturum, neque tum quidem Dio traductus a tyranno in Italiam deportari iuſſus eſſet, ita tamen, ut ſe eum non in exſilium miſiſſe et relegaſſe, ſed ablegaviſſe Dionem diceret Dionyſius, ne forte, contumacia eius irritatus, gravius aliquid in praeſentem ſtatuere cogeretur, eumque ob finem amplas Dionis opes, et quicquid facultatum atque mancipiorum videretur, navibus ad ipſum Dionem, tyrannica prope pompa, in Peloponneſum transvehi, et poſſeſſionum quoque reditus ipſi mitti conceſſit. Quae omnia πεταλισμὸν reſipiebant, atque poſtea, quam fuerint periculoſa, oſtendebant, quando milite mercenario ipſum Dionyſium iuniorem oppreſſit Dio, atque inſulam, et praecipue caput eius in priſtinam libertatem maxima ex parte reſtituit. Caeterum Syracuſani, tam Dioni, quam eius militibus omnem mercedem et gratiam denegantes, ὥσπερ ἐκ μικρᾶς ἀῤῥωςίας τῆς τυραννίδος, εὐθὺς ἐπιχειρȣ̃ντες ἐξανίςασθαι, καὶ πράττειν τὰ τῶν αὐτονομȣμένων παρὰ καιρὸν, ἐσφάλλοντο μὲν αὐτοὶ ταῖς πράξεσιν, ἐμίσȣν δὲ τὸν Δίωνα, βȣλόμενον ὥσπερ ἰατρὸν ἐνακριβεῖ καὶ σωφρονȣ́σῃ διαίτῃ καταχεῖν τὴν πόλιν, *cum a tyrannide, velut diuturno morbo, ſtatim cuperent aſſurgere, alienoque tempore libertate populi uti*, *non ipſi modo ſucceſſus parum proſperos experti ſunt*, *ſed Dionem etiam odio habuerunt*, *qui*, *veluti medicus*, *urbem continere in accurata et ſobria diſcuperet diaeta.* 9. Video autem nonnullos regerere, a potentia paucorum ſummam promanaſſe calamitatem, Romae quidem omnia bella civilia,

Sy-

Syracuſis et Athenis vero tyrannides diverſas, adeoque introducendum eſſe πεταλισμὸν καὶ ὀστρακισμόν. Quo ſenſu et Q. Catulus, apud VELLEIVM *lib. II. c.* 31. §. 7. dixerit de Pompeio: *Eſſe quidem praeclarum virum, ſed nimium iam liberae reipublicae: neque omnia in uno reponenda.* Quamvis vero vehementer noxiam ſaepiſſime fuiſſe nimiam nonnullorum hominum potentiam non negemus; luculentiſſime etiam id ipſum ACATIO ENENKELIO *in Seiano*, BESOLDO *lib. II. Politic. c.* 5. §. 2. FORSTNERO *Not. Politic. in Tacit. Annal. p.* 144. 145. *ſeq.* PICCARTO *in Ariſtot. Polit. lib. V. c.* 3. *p.* 678. *ſeq.* demonſtrantibus: tamen aliis et praeſtantioribus remediis, quam πεταλισμῷ, occurri poſſe huic malo cenſemus. Conſtat autem, non niſi putridum membrum eſſe

Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

Et propterea abſurdum omnino foret, membrum aliquod, caeteris robuſtius, velle reſcindere: e) adeo ut ne fortioribus quidem purgationibus iſtis uti conſultum videatur. Siquidem clarum huius rei exſtat exemplum in LVCANI *Pharſal. lib. II. v.* 140.

Sylla, quod exiguum reſtabat ſanguinis urbi,
Hauſit, dumque nimis iam putrida membra recidit,
Exceſſit medicina modum, nimiumque ſecuta eſt,
Qua morbi duxere manus, periere nocentes.

Vnde prudenter SENECA, (qui non modo ſemper magnus apparet, ſed, ut ſolent vere magna, magis magisque inſpectus tractatusque ſe approbat, ut LIPSIVS etiam *Centur.* I. *ad Belg. Epiſt.* 42. credat, *poſt ſacras literas in nullo orbe, in nulla lingua ſcriptum quicquam eſſe melius utiliusque.*) *lib. I. de clement. c.* 22. dixit: *Severitas, quod maximum remedium habet, aſſiduitate amittit auctoritatem.* ÆLIANVS *Var. Hiſt. lib. XIV. c.* 25. narrat, quod politicus quidam ſeditioſis in Chio ſuaſe-

V rit,

e) *Vid.* ARISTOT. *lib. III. Politic. c.* 13.

rit, ut ne νοσήσαντες νόσον ταύτην βαρυτάτην, *graviſſimo hoc morbo laborantes, eiicerent contrariam, quamvis imbecilliorem, factionem, ſed ibi relinquerent, quo minus, deficientibus adverſariis, ipſi ſibi mutuo bellum inferre inciperent.* Quod *Argivi*, bellis externis liberati, adverſus ſeipſos ſaevientes fecere; quos ISOCRATES *Orat. ad Philippum* teſtatur, et deteſtatur, *primariis civibus expulſis, maiori laetitia perfuſos, quam qui hoſtes ſuos deleviſſent.* Admirabilis eſt et prudens inprimis IOH. HENRICI BOECLERI cautela ſuper hoc negotio. Is enim, dum *in Chr. ad Velleian. c.* 2. §. 27. *ſeq.* optime inculcat, quomodo principes verſari debeant circa excellentia ingenia, tandem *th.* 33. in haec erumpit verba: *Non excluditur interim proviſio, ad praecidendas elatioribus degenerandi occaſiones.* Vnde melius etiam προφυλακὴν amplectendam, cavendumque in principio, ne quis civium ad nimiam potentiam perveniat, qua poſtea ſit metuendus, non vero demum, poſtquam crevit, per fas et nefas opprimendum eſſe iudicavit ARISTOTELES *lib. V. c.* 3. et ibi PICCARTVS. Quod etiam ÆLIANVS *lib. XIV. c* 27. inculcavit, cum laude dignos illos maxime pronunciaret, ὅσοι τὰ ὑποφυόμενα τῶν κακῶν φθείροντες ἀεὶ ταῦτα ἐκκόπτουσι, πρὶν ἢ δυνάμεώς τινος ἐπιλαβέσθαι, *qui naſcentibus malis ſemper occurrunt, et ea prius, quam virium aliqua ſit acceſſio facta, delent*, iuxta illud OVIDII *lib. I. de Rem. Amor. v.* 911:

Principiis obſta, ſero medicina paratur;
Cum mala per longas invaluere moras.

Itaque occurrendum eſt primo motui. f) Siquidem ſecundum CICER. *Philipp. V. Omne malum naſcens facile opprimitur, inveteratum plerumque fit robuſtius.* Et tutius omnino eſt, ſubtractis alimentis ignem exſtinguere, quam, ubi iam nimis invaluit, primum accurrere. Quo referimus illud PERSII *Sat. VII. v.* 63.

Helle-

f) *Confer. Ariſtot. lib. III. Polit. c.* 13. *ibique Piccartum. It. Petr. Gregor. Tholoſan. lib. XXII. de Rep. c.* 10. §. 9. *et Zevecot. Obſervat. Polit. in Sueton. Iul. c.* 76. *p.* 220. *et in c.* 16. *p.* 45. *ſeq.*

Helleborum fruſtra, cum iam cutis aegra tumeſcit,
Poſcentes videas: Venienti occurrite morbo,

Vnde ARISTOTELES *lib. V. de republ. c.* 3. ſatius fuiſſe dixit ne viri excellentes poſſint in civitate exiſtere, quam, malo ex patientia et negligentia nato, poſtremo ὀστρακισμῷ mederi. Enimvero *ſit plerumque imprudentia quorundam, et aliorum inerti patientia, ut radices denique agat ambitio, et vel omnibus in medicinam deſit animus, vel ea, non niſi ſera et inutili cura, tentetur.* FORSTNERVS *Not. Politic. ad Tacit. Annal. pag.* 148. *ſeq.* Qui exempli loco adiicit *C. Caeſarem, qui, Pompeii ipſius favore adiutus primum, eam potentiam ſibi acquiſiviſſet, quae civitati Romanae poſtea terrori fuiſſet, quaeque et Pompeium, ſero nimis moventem, et libertatem Romanam funus feciſſet.* Vnde etiam prudentiſſimum eſſe cenſebat *Philoſophus, ſi legislator ab initio ſic conſtituiſſet remp. ut non egeat hac medicina; ὥστε μὴ δεῖσθαι τοιαύτης ἰατρείας.* Cui calculum ſuum addit ZWINGERVS, commentator, qui, cum hoc remedium (ut in malis) non reprehendat, dicit tamen, maluiſſe optimum magiſtrum ſuum obſtrui aditum huic malo prius, ne irreperet in civitatem, aut elidi potius ſtatim adhuc tenerum, quam conflatum iam exſtinguere. Et ſane melius eſt, *intacta iura ſervari, quam poſt vulneratam cauſam remedium velle quaerere;* quae et aliorum politicorum et ipſius IVSTINIANI Imp. ſapientiſſima fuit ſententia, *L. ult. Cod. quibus cauſis in integr. reſtit. quis poſſit.* Vltimo loco *nequaquam placent, qui in futuros morbos firmo corpori medicamenta infundunt, ſolicitantque ſopitas aegritudinis cauſas, nec ullo tempore peius, quam inter eiusmodi luctam ſuccenſas.* Ex quo hominum genere infinita mala et funera orta eſſe, optime annotat illuſtris FORSTNERVS *Not. Polit. in Tacit. Annal. p.* 149. *ſeq.* Praeclariſſime vero, ut omnia, NAZIANZENVS, orat. I. allegoricam animarum curandarum et hominum regendorum rationem cum corporum medicina conferens, tradidit, ad mitiora ſemper inclinans remedia, ita ut ad quaedam peccata putet conniven-

dum, ne, diſſoluto tandem pudore, quod perſuaſionis pharmacum eſt, ad quodvis facinus audaciores reddamur.

MEMBRVM VI.

Exemplis rem omnem illuſtrans.

1. Commemoratio exemplorum auctoritatem ſermoni affert. 2. Exempla quaedam eorum, qui ob nimium incrementum et potentiam ſuſpecti fuere, et propterea, quamvis inique, remoti ſunt, ex ſacris literis adducta. 3. Graecia huiusmodi exemplis abundat. 4. An Cimon ab matrimonium, quod cum ſorore ſua, Elpinice, inierat, per ἰσρακισμὸν in exſilium miſſus fuerit? 5. Alia exempla Romanorum recenſita. 6. Alia Gallorum. 7. Plura exempla petenda ex adductis autoribus.

1. Sed, quum commemoratio antiquitatis, exemplorumque prolatio; ſumma cum delectatione, autoritatem orationi afferat, et fidem; nihilque ſit aetas hominis, niſi cum memoria veterum et cum aetate ſuperiorum contexatur, ut recte dixerit ARISTIDES *in Orat. de concordia ad Rhodios pag.* 386. *Tom. II. oper.* Ἐςι δὲ τȣ̃ παρεληλυθότος χρόνȣ τȣ̃τ' ἀπολαύειν παραδείγμασι. τοῖς γνωριμοτάτοις χρωμένοις εἰς τὰ παρόντα. i. e. *Atque hic praeteriti percipitur temporis fructus, cum celeberrimis exemplis ad rem praeſentem utimur*: in hoc membro paucos nominabimus, qui, ob virtutem et excelientiam ſuam ab alienatis hominibus excluſi, et, feliciter rebus geſtis, exſulare coacti ſunt. 2. Et quidem ipſae ſacrae literae largam horum ſegetem nobis ſuppeditant. Sic *Iſaacus*, cum Geraris in Palaeſtina habitaret, Deo benedicente indies et opibus, et fortuna creſcebat. Hinc invidia inducti Palaeſtini puteos omnes terra compleverunt, et ipſe Abimelechus, Gerarorum rex, Iſaacum iuſſit ſolum vertere, ne fortunis et potentia eius damnum ſibi accerſeret. *Geneſ. XXVI. v.* 16. De Davide e ſacris literis prodidit IOSEPHVS *lib. VI. Antiquit. Iudaic. c.* 11. quod Saulus, cum cerneret ei decuplo potiores partes victoriae

ctoriae tribui, nec quicquam, poſt tam glorioſam famam, ei ſupereſſe ſperandum, quam regnum, ſuſpectum eundem habere coeperit, ac tribuni munus ei demandaverit, ut ſaepe hoſtibus obiectus tolleretur; non tam illius honori, quam ſuae ſecuritati conſultum volens. Plura in hanc rem exempla, hic non memorata, dabit RAVANELLVS *in Bibliotheca ſacra Tit. Proſcriptio. Exſilium, Deportatio.* 3. In Graecia vero maxima eorum copia, qui popularis invidiae tempeſtatem ſubierunt. *Ariſtides* ob eam cauſam expulſus eſt patria, quod praeter modum iuſtus videtur. CIC. *lib. V. Tuſcul. f.* Pulſus eſt *Damon*, Periclis magiſter, quod prudentiae opinionem haberet. SIGON. *lib. II. de Rep. Athen. c.* 4. *Solon*, cum eſſet optimarum legum autor, eiectus eſt. ALEX. ab ALEXANDRO *lib. III. cap.* 20. Alexander M. *Perdiccam* oderat, quod eſſet bellicoſus; *Lyſimachum*, quod militandi peritus; *Seleucum*, quod magni animi; *Attalum*, quod regia dignitate polleret; *Ptolemaeum*, quod ei proſpere omnia ſuccederent. ÆLIAN. Var. Hiſt. *lib. XII.* Sic iniuriam ὀστρακισμοῦ experti ſunt *Phaeax*, *Nicias*, *Themiſtocles*, *Alcibiades*, *Thucydides*, Mileſiae filius, qui, cum eſſet ἀναπολόγητος, ARISTOPHANES *in Veſpis*, *pag.* 498. eum in lingua ἀποπληξίαν habuiſſe finxit. 4. His *Cimonem* adiungunt, quem SVIDAS *in Cimone*, nec non SCHOLIASTES ARISTOPHANIS propter matrimonium cum ſorore, Elpinice, per ὀστρακισμὸν eiectum vult, *in Equitib. Act. II. ſc.* 4. *v.* 20. Eum VARINVS, memoria lapſus, in ὀστρακίνδα, falſo Ariſtidem nominavit. Hunc Cimonem ob facundiam, qua excellebat, ne illa delinitum populum in ſervitutem pelliceret, non vero ob coniugium illud, Athenienſium moribus licitum g), relegatum eſſe aſſerere contendit, imo omnes eius ſententiae propugnatores (inter quos et HADR. IVNIVS *Animad. loc. cit. lib. V. c.* 18.) ληρεῖν probat IANVS RVTGERSIVS *Var. Lect. lib. I. cap.* 9. 5. Romae

---

g) *Vid. Dn. Franckenſtein: Exercit. MS. in Corn. Nep. Praefat. th. 3.*

Romae quoque *L. Tarquinius Collatinus*, libertatis Romanae aſſertor, vita innocentiſſimus, exactis regibus, confeſtim civitate prohibitus fuit, ſolo odii regii nominis praetextu dato. Livus *lib. II. cap.* 2. *Catonem* innocentia adverſus inimicorum validiſſimos conatus vix defendere potuit, cum quadragies ſexies reus cauſam dixiſſet. ZWINGERVS *in Theatro pag.* 659. EX SABELLICO *lib. I. Ennead. cap.* 6. IAC. PONTAN. *Attic. Bellar. pag.* 315. Sic *Furii Camilli*, *Pauli Æmylii* et *Scipionis Africani* virtutes, ad caelum latas, ſuſpectas tamen et calumniis obnoxias fuiſſe ſcribit iam laudatus LIVIVS. His autem accuſatores gravius nihil obiicere poterant, quam nimium honorem et gloriam in eos eſſe congeſtam, quam illuſtribus victoriis et magnificis triumphis belli domique peperiſſent. Vterque Petilius Trib. Pl. cum *Scipioni Africano* diem dixiſſet, nihil prope aliud ei obiecit, quam *non ad aliam rem in Aſiam cum fratre profectum, quam ut, quod Hiſpaniae, Galliae, Siciliae, Africae iampridem perſuaſum eſſet, hoc Graeciae Aſiaeque, et omnibus ad orientem verſis regibus gentibusque appareret, unum hominem caput columenque imperii Romani eſſe. Sub umbra Scipionis civitatem, dominam orbis terrarum, latere, nutus eius pro decretis patrum, pro populi iuſſis eſſe.* Ita infamia intactum invidia, qua poterat, urgebat. Vid. ipſe LIVIVS *lib. XXXIX. cap.* 50. *ſeq.* Iam quantus eſt illorum numerus, qui in crudeli illa proſcriptione triumvirali fortunis vitaque exuti ſunt? Colligas numerum licet ex DIONIS *lib. XLVII.* et APPIANO, qui praeter caeteros prolixe miſerias et calamitatem eius temporis, flagitiaque crudelis dominationis deſcribunt. Quam pernicioſe vero meriti fuerint de republ. vitiis et ſceleribus maxime inſignes imperatores, Tiberius, Caligula, Nero, Domitianus, Commodus, et alii, quibus boni ſemper, quam mali, ſuſpectiores fuerunt, non unum exemplum nos docet. Hoc argumentum eſt pleraeque partis *annalium* TACITI, in quibus illuſtres ac potentes viri ſuſpecti, depreſſi, contuſi et ſubverſi ubique obvii ſunt. Videri quoque hic poſ-

poſſunt PLINIVS, iunior, *in Panegyrico*, DIO CASSIVS, SVETONIVS, HERODIANVS, et quos laudat BOECLERVS *ad Tacit. lib. XIII. Annal. Annotat.* 1. et *in lib. I. Hiſtor. pag.* 50. Recte ergo ſub principibus iſtis uſurpatum fuit dictum IVVENALIS *Sat.* 4. *Prodigio par eſt in nobilitate ſenectus.* Quo etiam alluſit MARTIALIS *lib. XII. Epigr.* 62.

In tauros Libyci fremunt leones,
Non ſunt papilionibus moleſti.

Quibus interpretandis ſerviant ad illa tempora applicata TACITI *lib. I. Hiſt. cap.* 2. §. 4. verba: *Nobilitas, opes, omiſſi geſtique honores pro crimine, et ob virtutes certiſſimum exitium.* 6. Quam frequenter vero viri excellentes in Gallia, et olim, et hoc temporum tractu ex aula remoti fuerint, clarius eſt, quam ut ei mori inveſtigando plurimum temporis tribuamus. Nobile exemplum habemus in *Guiſio*, et *Condaeis*, *fratribus*, quod etiam contigit illorum *parenti*, anno huius ſeculi 16; edita in vulgus cauſa, non quod peccaſſent, ſed quod peccare et reip. ſummam forte turbare potuiſſent, ſepoſitos eſſe. Vid illuſtris Galliae ſcriptor GRAMONDVS *lib. II. pag.* 127. 7. Omnia enumerare non foret tantum difficile, ſed etiam taedioſum, imo non obſervationes, ſed libros ſcriberem, ſi, quae paſſim in hiſtoriis ſimilia occurrunt, exempla hic proponerem. Sufficiant haec pauca. Nam ſatis huius diſſertationis magnitudo crevit; et *magis offendit nimium, quam parum*, dicente CICERONE *in Oratore ad Brutum, num.* 14 Nobis in parte compendii eſto, Benevolum Lectorem ad ſequentes autores remiſiſſe, qui ingentem exemplorum numerum ſubminiſtrabunt. Sunt autem VALER. MAXIMVS *lib. V. cap.* 3. SABELLICVS *lib. IX cap.* 1. 2. 6. ZWINGERVS *in Theatro vitae humanae*, *pag.* 6[illegible]8. et *pag.* 3010. *uſque ad pag* 3[illegible]19. COMINÆVS *lib I. cap.* 10. IANVS GRVTERVS *diſcurſuum in Tacit. cap.* 33. *et* 34. PICCARTVS *in Ariſtot. Politic. lib. III. cap.* 1. *pag.* 447. *ſeq.* item

De-

Decad. 3. *Obſ. cap.* 9. ACACIVS ENENKELIVS *in Seiano.* PETR. GREGOR THOLOSANVS *de Republ. lib.* XXII. *cap.* 10. §. 2. 3. 4. 6. SCIPIO AMIRATVS *Diſſertat. Politic. in Tac. lib. III. diſcurſu* 4. *et lib. IV. diſcurſu* 2. *et lib. XIV. Diſc.* 3. MACHIAVELLVS *Diſp. in Liv. lib. I. cap.* 28. 29. FORSTNERVS *Not. Polit. ad Tac. pag.* 151. *ſeq. et pag.* 315. 316. 318. *uſque ad pag.* 326. BOECLERVS *in lib. I. Hiſt. Tac. pag.* 79. ZEVECOTIVS *Obſervat. Polit. in Sueton. Iul. cap.* 12. *pag.* 33. *ſeq.* Idem *in Florum pag.* 182. 249. MICRÆLIVS *Syntagm. Hiſtor. Politic. Tit. Exſules, Patria ingrata, Proſcripti.* C. F. FRANCKENSTEINIVS *Obſervat. Politic. I. in Suetonii Veſp. cap.* 4. et *Not. Philolog. in eiusd. Veſp. cap.* 9. ad haec verba: *Exhauſtos caede varia*, ibidemque *Obſervat.* 3. *Miniſterium Card. Richelii et Mazarini lib. IX. cap.* 32. cum *obſervat. politicis.*

IOACHIMO

IOACHIMI KÜHNII
DISSERTATIO
DE
LOTIONIBVS ET BALNEIS
GRAECORVM

IN ARGENTINENSI ACADEMIA

ΦΙΛΕΛΛΗΝΩΝ EXAMINI SVBIECTA

RESPONDENTE

IOHANNE GEORGIO SCHERTZ

ARGENT

AD D. VIIII Martii CIↃ IↃ C XCV.

A! Ω!

DE

LOTIONIBVS ET BALNEIS GRAECORVM.

§. 1.

Cum, Lector Benevole, lotiones cum balneis vinculo aliquo inter ſe coniunctae ſint; et de balneis quaedam, ex Graecis collecta authoribus, proferre animus mihi ſit: prius de lotionibus aliqua dicere non *ἀπροσδιόνυσον* erit, quo reliqua vel aptius ſequantur, vel planius explicentur. Fave dicenti!

§. 2. Vt ſordes, ita et adverſus eas remedia, lotiones nempe, omnium, quae ſunt, inventrix produxit natura; ſiquidem vetuſtiſſimis iam temporibus, ne corpora, ſordibus obſcoena, ſua privarentur munditie, lautos iam fuiſſe homines videmus, quod Geneſ. XVIII, 4. Abrahamus, et Gen. XIX, 2. Lothus docent; qui ex more, a natura tradito, per conſuetudinem recepto, viris hoſpitibus aquam, qua pedes laventur, offerunt; et filia Pharaonis, quae, cum ancillis, ad Nilum ſe contulit lavandi gratia Exod. II, 5. Vnde non tantum in vaſis laviſſe, ſed in viva etiam flumina lotionis ergo iam tum deſcendiſſe homines liquet. Antiquius enim eſt corpora ablui vivo flumine, vel fontana marinaque aqua, quam balneo uti; hoc ſcil. artis eſt, illud natura docuit etiam animalia; ut videre eſt in quibusdam animalibus, quae, ut poëta canit:

Certatim largos humeris infundere rores,
Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas,
Et ſtudio in caſſum videas geſtire lavandi.

Sunt etiam, quae ſcabies tentat, niſi quandoque laventur. Equus certe λȣτρῷτε καὶ ἀλειφῇ, *lotione et unctione*, gaudet; ut tradunt, qui periti ſunt τῆς πωλευτικῆς, *educationis generis equini*, apud ÆLIANVM H. A. lib. II. c. 36. Huius munditiei naturalis admonet Cynicos EPICTETVS, qui *illuvie*, *imbalnitie*, ut Lucilius ait, corporisque incuria philoſophiam inquinabant, inter alia dicendo: Ουδὲ τὰ ζῶα τὰ ἀνθρώποις σύντροφα, ῥυπαρὰ ἐποίησεν ἡ φύσις. μήτι ἵππος λȣεται ἐν βορβόρῳ; μήτι κύων γενναῖος; ἀλλ᾽ ὁ ὗς καὶ τὰ σαπρὰ χηνίδια, καὶ σκώληκες καὶ ἀράχναι, τὰ μακροτάτω τῆς ἀνθρωπίνης συστροφῆς ἀπεληλαμμένα. σὺ ȣ̃ν ἄνθρωπος ὢν, ȣ̓δὲ ζῶον εἶναι θέλεις τῶν ἀνθρώποις συντρόφων; ἀλλὰ σκώληξ μᾶλλον, ἢ ἀράχνιον. *Nec animalia, homini familiaria, natura fecit ſordida: numquid equus lavatur luto? numquid canis generoſus? ſus vero et putidi anſerculi, et vermes, et araneae* (hoc faciunt,) *quae longiſſime ab hominis familiaritate remota ſunt; tu igitur, cum homo ſis, ne quidem animal, hominibus familiare, ſed vermis et aranea eſſe ſatagis* &c.

§. 3. Bene igitur Graeci, natura duce, καθαρότητος ſtudioſiores a primis annis ſe aſſuefecerunt *lotionibus*; qui et commoditatis ſanitatisque gratia ἀσαμίνθȣς invenerunt, in quibus corporum lotioni, quae fiebat calida, feriari aptius poſſent; docente SVIDA voce Ἀσάμινθος et Βαλανεῖον.

§. 4. Vt autem ordine agamus, dividemus lotiones in *ſacras* vel *profanas*. Quod ad ſacras attinet, clarum omnino eſt, ſacrificia, libationes, vota et preces non niſi puris manibus ac καθαρᾶς fieri debuiſſe. Itaque HESIODVS, ἔργ. καὶ ἡμέρ. *Perſeo* ſuo rectum deorum cultum iniungens, v. 335. ſic loquitur:

Ἀλλὰ σὺ τῶν μὲν πάμπαν ἔεργε ἀεσίφρονα θυμόν,
Καδδύναμιν δ᾽ ἔρδειν ἱερ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖσιν
ἉΓΝΩΣ καὶ ΚΑΘΑΡΩΣ, ἐπὶ δ᾽ ἀγλαὰ μηρία καίειν.

Et v. 724.

Μήδη

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠῶς Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
ΧΕΡΣΙΝ ΑΝΙΠΤΟΙΣΙΝ, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

Et apud HOMERVM *Iliad.* ῥαψ. ι. Neſtor, ob legationem ſacra facturus, dicit:

Φέρτε δὲ χερσὶν ὙΔΩΡ, εὐφημῆσαι δὲ κέλεσθαι,
Ὄφρα Διὶ Κρονίδῃ ἀρησάμεθ', αἴκ' ἐλεήσῃ.

Et *Odyſſ.* ῥαψ. ϐ. v. 260. *Telemachus*

—— —— ἀπάνευθεν ἰὼν ἐπὶ θῖνα θαλάσσης,
ΧΕΙΡΑΣ ΝΙΨΑΜΕΝΟΣ πολιῆς ἁλὸς, εὔχετ' Ἀθήνῃ.

ubi nota, *Telemachum* manus laviſſe aqua marina, qua praecipue, cum ſe ita purgarent, utebantur; unde illud EVRIPIDIS, ἡ θάλασσα κλύζει πάντ' ἀνθρώπων κακά. Similiter templum ingredientes aqua ex *aquiminali*, quod ad templi fores erat, aſpergebantur. POLLVX *Onomaſtic.* l. I. Τὸ δὲ προσιέναι πρὸς τοὺς θεοὺς καθηράμενον, καθαρεύσαντα, φαιδρυνάμενον, περιῤῥανάμενον, ἀποῤῥιψάμενον, ἀπονιψάμενον, &c. Huc adde, quae habet CASAVBONVS in eruditiſſimis ad *charact. Theophraſti* cap. περὶ δεισιδαιμονίας *notis.* Dein ſacer praeco, ἱεροκήρυξ, edicebat alta voce, μὴ παριέναι εἴσω περιῤῥαντηρίων, ὅστις μὴ καθαρός ἐστι τὰς χεῖρας, *ne quis intra labrum luſtrale penetraret, qui non puris eſſet manibus*, i. e. ab homicidio impollutus. Eadem προῤῥήσει deinceps arcebantur templis ſacrisque Chriſtiani, Epicuraei, et omnes Athei, quos quidem illi tales crediderunt. Λουτρὰ quoque adhibebantur nuptiarum die ὁσίας ἕνεκα, quae quidem ipſo hoc die, ſed ante tamen nuptias, a puero quodam, qui proxime ſponſum genere attingebat, *Athenis* ex *Callirhoë*, (THVCYDIDES lib. II.) alibi aliunde ſumpta, in ſponſi domum deferebantur, unde et λουτροφόρου nomine inſigniebatur; vide *Etymolog. Magn.* HARPOCRATION. et SVIDAM voce λουτροφόρος, POLLVCEM vero *Onomaſtic.* lib. III. c. 3. ubi tamen, quod λουτροφόρον puellam, non puerum, ut alii, fuiſſe dicat, notetur. Forte pueri iuvenibus μελλονύμφοις, puellae vero ſponſis nupturientibus

hoc praeſtabant officii. Eodem nomine et ille, qui mortuis *ἀγάμοις λȣτρὰ* ferebat, ac ſuper ſepulcra ſtatuebatur, gaudebat; rhetoresque *ἄγαμον* vitam vixiſſe hominem ex eo arguebant, *ὅτι λȣτροφόρος ἐφέστηκε τῷ μνήματι*, *quia λȣτροφόρος in monumento aſtitit.* Vide *Etymolog. Magn.* et SVIDAM voce *λȣτροφόρος*. Ad ſacras quoque lotiones pertinet, quod flumen aliquod tranſeuntes, fluminis aqua manus lauti, vota facerent, ut innuit HESIODVS *ἔργ. καὶ ἡμέρ.* v. 737. ſeq. dicens:

> *Μηδέ ποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίῤῥοον ὕδωρ*
> *Ποσσὶ περᾶν, πρίν γ' εὔξῃ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα,*
> ΧΕΙΡΑΣ ΝΙΨΑΜΕΝΟΣ *πολυηράτῳ ὕδατι λευκῷ.*
> *Ὃς ποταμὸν διαβῇ, κακότητι δὲ* ΧΕΙΡΑΣ ΑΝΙΠΤΟΣ,
> *Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι, καὶ ἄλγεα δῶκαν ὀπίσσω.*

ubi *τὸ εὔξῃ*, quod in altero ſtatim verſu occurrit, explicari inter alia poteſt ex illo OVIDII *Amorum. eleg.* 6. l. 3. ubi *Ovidius*, flumen tranſiturus, ita vovet v. 20. *Sic aeternus eas*, et poſtea v. 98, negans unquam id flumen voto dignum habitum eſſe, dicit:

> *Quis grata dixit voce? Perennis eas!*

Quod nempe flumen ſuperaturi formula: *Perennis eas*; *Sic aeternus eas*; aut ſimili aliquo modo ei perennitatem apprecati fuerint. Opulentiores, non contenti ſolis precibus, victimas flumini caedebant pro felici tranſitu, id quod vocabant, *θύειν διαβατήρια.* In ſacris lotionibus erant et luſtrationes, *περιῤῥάντεις*, quibus non tantum utebantur templum, ſed et forum ingreſſuri. Ad fori enim introitum ſtabat *aquiminale*, ex quo aſpergebantur, qui venerant in forum ad tractanda negotia publica, ut puri et religione quaſi emundati operam darent reipublicae. Praeterea ſuperſtitioſi per menſes ſingulos cum uxoribus, liberis et domeſticis, capita abluebant in triviis, tanquam loco *Hecate* ſacro; alii ex tribus fontibus petitam volebant aquam, qua aſpergerentur. Vid. THEOPHRASTVS cap. 17. CLEMENS, *Alexandr.* lib. VII. *Strom.*

Strom. Si quando tota civitas laboraret peſtilentia, populus in concionem vocatus, una luſtrabatur per *aſpergillum*, ex lauro factum. Ita a peſtilentia expiavit vates *Branchus Mileſios*. CLEMENS *Alex. Strom.* lib. V. Nec, aqua tantum luſtrationes fiebant, verum etiam aliis rebus. Nam, qui *ſacra Leontica* ſuſcipiebat, illi pro *aqua mel*, lavandis manibus, affundebatur; quia mel etiam habet δύναμιν καθαρτικὴν; ipſe vero *myſta*, qui ſacris illis initiabat, habebat τοῦ πυρὸς οἰκεῖα νίπτρα, *ignis proprias lotiones*; quia enim aqua igni inimica eſt, recuſabat illam eo nomine Mithriacus ſacerdos. PORPHYRIVS de *Antro Nympharum.* Sanguine autem porci luſtrabantur homicidae inprimis. Luſtrator enim homicidarum ambas manus caeſi porci ſanguine tingebat, et poſtea aqua abluebat, credebantque miſeri, ſe a culpa poenaque homicidii liberatos adeo eſſe, ut iam templa hominumque coetus frequentare poſſent ſine piaculo. Huc refer iſta SCHOLIAST. *Sophoclis* in *Aiace Maſtigophoro:* Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅτε ἢ φόνον ἀνθρώπου ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. et iſta PAVSANIAE in *Corinthiacis* pag. m. 74. Καθῆραι δέ φασιν Ὀρέστην καθαρσίοις καὶ ἄλλοις καὶ ὕδατι ἀπὸ τῆς ἵππου κρήνης. Et in SENECAE *Hercul. Furent.* Act. 5. Hercules, poſt caedem uxoris et liberorum, ſic fatur menti reſtitutus:

— — Quem locum profugus petam?
Vbi me recondam? quave tellure obruam?
Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Perſica
Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox
Tagusque Ibera turgidus gaza fluens
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Moeotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus,
Haerebit altum facinus. — —

Et OVIDIVS lib. II. *Faſt.*

Omne nefas, omnemque mali purgamina cauſam
Credebant noſtri tollere poſſe ſenes.

Grae-

Graecia principium moris fuit; illa nocentes
Impia luſtratos ponere facta putat.
Actoriden Peleus, ipſum quoque Pelea Phoci
Caede per Haemonias ſolvit Acaſtus aquas.
Vectam fraenatis per inane draconibus Ægeus
Credulus immerita Phaſida fovit ope.
Amphiaraïdes Naupactoo Acheloo,
Solve nefas, dixit. ſolvit et ille nefas.
Ah nimium faciles, qui triſtia crimina caedis
Fluminea tolli poſſe putetis aequa!

Quod *Naſonis* de hac re iudicium, in ultimo diſticho prolatum, ut veriſſimum eſt, ita quod verſu tertio Graeciam huic mori orginem dediſſe dicat, minus veritatis habet; ſiquidem Hebraeorum illas, quae in *Levitico* mandantur, lotiones παντόμιμος ille Sathanas imitatus fuiſſe, et ſic huic mori originem dediſſe videtur; quamvis HERODOTVS in *Euterpe* Ægyptios dicat eſſe primos, qui non ἄλουτοι ἀπὸ γυναικῶν ingreſſi ſint deorum templa. Memorabile autem eſt diaboli fraudibus ethnicos eo adductos, ut purificari ſe crediderint, cum maxime polluerentur animis et corporibus. ex. gr. in ſacris *Matris Deum* qui purificandus ſacrandusque erat, in terrae ſcrobem, altius egeſtam, ſe demittebat; ſupra autem tabula ſtrata erat, minutis foraminibus plena, ſuper qua taurus mactabatur cum auratis cornibus, eiusque ſanguis, per tabulam defluens in ſubiectam ſcrobem, hominem, ibi latentem, totum perluebat; et hoc ſacrum dicebatur *taurobolium*, et ipſe homo *tauroboliatus*, ipſaque luſtratione purus in viginti annos et in aeternum renatus habebatur. Vid. SALMASIVS in *Lamprid. Heliogabalum.* Ne dicam quod et ipſos deos ſuos Graeci fecerint lotionis amantes. Cur enim dixiſſet HOMERVS Oceanum λουτρὸν τῶν θεῶν, *deorum lavacrum*, niſi in eo ſe lavarent? Similiter et ſimulacra certis temporibus eluebantur in fluminibus et fontibus. CALLIMACHVS enim ſcripſit *hymnum* in λουτρὰ τῆς Παλλάδος, *lavacra Minervae*; ad quem *ſcholia Grae-*

Graeca monent, Argivas mulieres ſolitas eſſe certo tempore Minervae ſimulacrum deferre ad Inachum, fluvium, et in eo lavare. Interdum ornamenta, idolis detracta, tantum lavabantur, ut in πλυντηρίοις Athenienſes fecerunt Minervae Aglauro; et hoc erat officium φαιδρυντήρων, vel φαιδρυντῶν. Vid. HESYCHIVS in φαιδρυντὴς, et PAVSANIAS in *Eliacis*. In Delphico templo petentes oraculum a Pythia, in ipſam etiam victimam aquam effundebant, et in eius caput libabant, et a libationibus illis tota, quanta quanta erat, victima contremiſcere concutique membris omnibus oportebat. Ni fieret, ſignum erat Pythiae, ne aſcenderet tripodem ad vaticinandum, quia victima non habebatur pura deoque accepta; ſi Pythia non obſervaret hunc ritum, et, quamvis victima ad libationes immota et inconcuſſa et ἄτρεμος ſtetiſſet, nihilominus tripodem conſcenderet, a ſpiritu malo abripiebatur tanta cum vehementia, ut non diu ſuperviveret. Poſſemus hic ſubnectere lotiones vaſorum ſacrorum, niſi brevitati ſtudendum eſſet. Hoc ſaltem notamus obiter, quod apud HOMERVM *ſulphuris ſuffitu* primum, et deinde *aqua* purgetur poculum, quo libaturus erat Iovi Dodonaeo *Achilles*, *Iliad.* ῥαψ. π. ex quo loco etiam diſcimus, eiusdem Iovis ſacerdotes lavacro abſtinuiſſe, ex eo, quia dicuntur, ἀνιπτόποδες, *pedes non lavantes*; quod confirmat CLEMENS in προτρεπτικῷ, cum ſcilicet ſcribit, quosdam idololatras lavacris omnino abſtinere, et ſuis ſordibus indicare ſatis, quod templa idolorum ſint revera ſepulcra mortuorum. Sed mortui etiam, et domeſtici mortuorum lavabantur, uti illud EVRIPIDES docet, in cuius *Phoeniſſis* pag. edit. Canter. 134. Creon, poſtquam ſororem, Iocaſtam, ut filium mortuum ablueret, ad ſe acceſſierat, dicit:

—— —— Ἐγὼ δ' ἧκα μεταστέλλων ἀδελφὴν Ἰοκάστην, ὅπως
λούσῃ, προθῆταί τ' οὐκ ἔτ' ὄντα παῖδ' ἐμόν.

Et in *Hecuba* pag. m. 19. ubi *Hecuba*, quae cum filia, *Polyxena*, mortua fieri velit, ita ancillae indicat:

Σὺ δ' αὖ λαβοῦσα τεῦχος, ἀρχαῖα λάτρι,
βάψασ' ἔνεγκε δεῦρο ποντίας ἁλὸς,
ὡς παῖδα λουτροῖς τοῖς πανυστάτοις ἐμὴν
νύμφην τ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον
λούσω. προθῶμαι θ' ὡς μὲν ἀξίαν.

Quid quod huius ritus in HOMERO iam occurrant veſtigia; ſic *Patroclum* Iliad. ῥαψ. σ. v. 350.

λοῦσάν τε, καὶ ἤλειψαν λίπ' ἐλαίῳ.

et *Achilles Hectorem Iliad.* ῥαψ. ω. v. 582.

Δμωὰς δ' ἐκκαλέσας λοῦσαι κέλετ', ἀμφί τ' ἀλεῖψαι.

et *Odyſſ* ῥαψ. ω. anima *Agamemnonis Achillis* animae exequias eius narrans v. 43. ſeqq. ita loquitur:

Αὐτὰρ ἐπεί σ' ἐπὶ νῆας ἐνείκαμεν ἐκ πολέμοιο,
Κάτθεμεν ἐν λεχέεσσι, καθήραντες χρόα καλὸν
Ὕδατί τε χλιαρῷ καὶ ἀλείφατι.

Adde et *Lucianum* in *Luctu.* Idem antiquiſſimis etiam Romanis in uſu fuit; ſiquidem, ut SERVIVS ad *Virgil. Æneid.* lib. VI. ex *Ennio* citat,

Tarquinii corpus bona foemina lavit et unxit.

Quod vero et domeſtici eius, qui diem obierat extremum, loti fuerint ex SVIDA, voce καταλοῦσαι, pag. edit. *Porti* 1391. conſtat, qui dicit: Ἔθος ἦν μετὰ τὸ ἐκκομισθῆναι τὸ σῶμα καθαρμοῦ χάριν ἀπολούεσθαι τοὺς οἰκείους τοῦ τεθνεῶτος; adde SCHOLIAST. *Ariſtoph.* νεφέλ. p. m. 103. unde ſua hauſit SVIDAS, et LONGVM ποιμενικῶν lib. I. p. 27. Lavabantur etiam foeminae, Lucinam expertae; quo pertinet MENANDRI hoc: Λούσατε αὐτὴν τάχιστα; quod *Terent. Andr. Act.* 3. *Sc.* 2. ſic expreſſit:

Adhuc, Archillis, quae adſolent, quaeque oportet
Signa eſſe ad ſalutem, omnia huic eſſe video,
Nunc primum fac, iſtaec ut lavet.

Huic addi meretur PAVSANIAS in *Arcadicis*, quando p. m. 270. dicit: Ποταμὸς δὲ ὁ καλούμενος λύμαξ ἐκδίδωσι μὲν εἰς τὴν

Νέ-

Νέδαν παρ' αὐτὴν ῥέων Φυγαλίαν, γενέσθαι δὲ τὸ ὄνομα Φασὶ τῷ ποταμῷ καθαρσίων τῶν Ῥέας ἕνεκα. ὡς γὰρ δὴ τεκȣ̃σαν τὸν Δία ἐκάθηραν ἐπὶ ταῖς ὠδῖσιν αἱ Νύμφαι, τὰ καθάρματα ἐς τȣ̃τον ἐμβάλλȣσι τὸν ποταμόν. ὀνόμαζον δὲ ἄρα οἱ Ἀχαιοὶ αὐτὰ λύματα. μαρτυρεῖ δὲ καὶ Ὅμηρος ἀπολυμαίνεσθαί τε ἐπὶ τῇ λύσει τȣ̃ λοιμȣ̃ τοὺς Ἕλληνας καὶ ἔμβαλλειν τὰ λύματα εἰπὼν σφᾶς ἐς θάλασσαν. Hunc ritum in mente habuit PLAVTVS, quando in *Amphitruon.* Act. II. Sc. 2. ſervum introduxit dicentem:

— — *Ad aquam praebendam commodum adveni domum*
Decumo poſt menſe, ut rationem te dictare intelligo.

Non minus a coitu aqua ſeſe luſtrabant, quod PALMERIVS ad *Plauti Milit. Glorioſ.* Act. III. Sc. 1. notat, et ex illo HESIODI ἔργ. καὶ ἡμέρ. v. 733. et 34. patet:

Μηδ' αἰδοῖα γονῇ πεπαλαγμένος ἔνδοθεν οἴκȣ
Ἑςίῃ ἐμπελαδὸν παραφαινέμεν, ἀλλ' ἀλέασθαι.

Ad quem locum illuſtre illud Bataviae lumen, IOH. GEORG. GRAEVIVS, contra PROCLVM bene obſervat, velle poëtam, quod a concubitu etiam legitimo non res ſacra ſit facienda, ne domi quidem, nedum in publico, niſi ante lauto et luſtrato corpore. Praeterea ubi ex loco impuro, vel ubi quis mortuus fuiſſet, redirent, aqua luſtrabantur; itaque ad fores domorum funeſtarum aquiminale, aqua, ex loco puro allata, repletum, pendebat, ut inde exeuntes ſeſe luſtrarent, POLLVX. *Onomaſt.* lib. VIII. Quo alluſit OVIDIVS *Metam.* lib. IV. v. 478. et 79.

Laeta redit Iuno; quam, caelum intrare parantem,
Roratis luſtravit aquis Thaumantias Iris.

Antequam ulterius progrediamur, paucis indicandum, quid Graeci ſapientes ſenſerint de his ablutionibus ſacris? ubi quidam externam lotionem pro ſymbolo internae animi puritatis acceperunt, ita ut externa nil profecerit ſine interna. *Non lavacro mundus eſto, ſed animo*, inquit quidam apud CLEMENTEM lib. IV. *Stromat.* MENANDER, comicus, ridet, ut

inania medicamenta, *κενὰ φάρμακα*, *aſperſiones luſtrales;* et *mundus*, inquit, *eſt, qui nullius mali ſibi conſcius.* PYTHAGORAS plane prohibuit ſuis, ne in aquiminalia publica intingerent; incertum enim aiebat, an alii, qui illis utuntur, puri ſint. Diphilus expiatores mittit in Anticyram, ut ibi ſuis aſperſionibus ex cimice fucum faciant. Eiusdem ſententiae fuerunt, qui Conſtantinopoli inſculpſerunt labro lotorio hunc ſenarium retrogradum:

> Νίψον ἀνομήματα, μὴ μόναν ὄψιν.
> *Eluas peccata, non ſolam faciem.*

Sed haec hactenus de ſacris lotionibus.

§. 5. Quod iam porro ad lotiones *profanas* attinet, mox, poſtquam lectum reliquiſſent, lavabant ad minimum faciem; quod POLLVX *Onomaſt.* lib. X. cap. 10. docet: Ἐξαναστάντι δὲ ἐξ ὕπνου τὸ πρόσωπον νίπτεσθαι δέον. Hinc et apud HOMERVM *Odyſſ.* ῥαψ. τ. v. 320. *Penelope* ad ancillas dicit:

> Ἠῶθεν δὲ μάλ' ἦρι λόεσσαί τε χρῖσαί τε.

Pueri autem apud illos, ante lucem a paedagogo, vel nutrice expergefacti ſurgenteſque a lecto, ſtatim poſcebant aquam ad manus faciemque abluendas: Ἤτησα ὕδωρ εἰς ὄψιν, νίπτομαι πρῶτον τὰς χεῖρας, εἶτα τὴν ὄψιν, ἐνιψάμην, ἀπέμαξα, inquit puer Graecus in *colloquio ſcholaſtico*, quod VULCANIVS edidit cum ſuo *Gloſſario.* Idem ordo obſervatus ephebis iuvenibus, viris, puellis et foeminis. LVCIANVS in *Amoribus*, de iuvene: Ὄρθιος ἀναστὰς &c. τὸν ἐπὶ τῶν ὀμμάτων ἔτι λοιπὸν ὕπνον ἀπονιψάμενος ὕδατι λιτῷ &c. *Interpr.* reddit: *Poſtquam mane ſurrexit, reliquumque ſomnum ab oculis abſterſit aqua vili;* melius reddidiſſet, *aqua pura, ſimplici.* Poſtea domo egreſſi ſua quisque obibat munia, vel exercebatur in palaeſtra, vel iter faciebat, aut aliud negotium tractabat. Reverſi domum iterum lavabant, vel pedes tantum, vel manus, vel caput, vel totum corpus, ſudore ac pulvere plenum. Ἀμήχανον ἦν μὴ πηλοῦσθαι τοὺς πόδας, &c. διὰ τούτων τινῶν πορευόμεθα, *pe-*

des

des non poterant non inquinari, *quandoquidem per talia quaedam ambulamus* inquit EPICTETVS. Πάλαι μὲν μὴ συνεχῶς ἐλȣ̃οντο οἱ ἄνθρωποι, μηδὲ εἶχον τοσαῦτα βαλανεῖα, ἀλλ' ἢ πόλεμον καταστρεψάμενοι ἢ μεγάλȣ παυσάμενοι πόνȣ ἐλȣ̃οντο, *antiquitus non aſſidue lavabantur homines*, *neque habebant tot balnea*; *ſed lavabantur a bello reduces*, *aut magno labore peracto*, inquit ARTEMIDORVS *Oneirocrit.* lib I. cap. 66. quae verba de antiquiſſimis temporibus accipienda ſunt, qualia deſcribit HOMERVS in *Iliade*, ubi optimates Graecorum non ſiſtit lavantes, niſi rei divinae gratia; at in *Odyſſea* Vlyſſes, cibum ſumturus, lavat manus. Alias Homero non ignotum fuit ſpongia faciem manusque abſtergere munditiei cauſa, ut patet ex *Iliad.* VI. At non reperias facile apud hunc poëtam, qui propter valetudinem, aut voluptatem lavetur, niſi a praelio domum reverſus. Poſt Homeri tempora crevit multis modis lavandi mos et cacoëthes. Inprimis, antequam accumberent, pedes lavabantur, quod interdum, licet apud alium coenarent, domi ſuae tamen faciebant, ut patet ex LVCIANI *Gallo* pag. m. 602. Quanquam et manus non minus lotionem experiebantur; idque, antequam cibus caperetur, factum νίπτειν, poſt cibum ἀπονίπτειν dicebatur; ipſa aqua autem, ante coenam manibus infuſa, dicebatur ὕδωρ κατὰ χειρός; unde paraſitus interrogatus, quaenam aqua optima? reſpondit: Τὸ κατὰ χειρός. Poſt coenam manus lavare ſimpliciter νίψασθαι vocabant. POLLVX *Onomaſt.* lib. VI. cap. 14. Poſt coenam etiam lotioni aliquando operam dabant. Sic Penelope vult, ut poſt coenam ancillae *Vlyſſem* abluant. *Odyſſ.* ῥαψ. τ. Hoſpites vero, quocunque tempore ſeu venientes, ſeu diſcedentes, lavabantur, et quidem ita, ut id officii a foeminis praeſtaretur Hinc a Calypſo Vlyſſes *Odyſſ* lib. V. lavatur, et EVSTATHIVS in *Odyſſ.* ῥαψ. γ. v. 464. dicit: Ὅτι ἦν ἔργον γυναικῶν τὸ τοιȣ̃τον ἀνεπιφθόνως τότε γινόμενον. Interdum hoſpes verecundior operam ancillarum iuniorum deprecabatur, petebatque ſibi lavari pedes ab anicula quaedam, uti Vlyſſes fecit domi ſuae ante ἀναγνωρισμόν.

μόν. Odyſſ. lib. XIX. Alias ex hiſtoriis patet, quod filiae regis Siculi, quem Cocalum vocant, Minois pedes laverint, et Cleobuline, Cleobulis, Lyndiorum regis, filia, paternis hoſpitibus *τὰ ποδόνιπτρα* exhibuerit. Vt tandem veniam ad lotiones ſanitatis gratia, illas ſaepe Æſculapius aegrotis, in templo ſuo ſomnia captantibus, graviſſimas et acerbas imperabat. Patet enim ex *ſacris oratiunculis* ARISTIDIS, quod ipſi Æſculapius indicaverit, ut, ſi velit morbo ſuo liberari, iret et media hyeme, flante Borea, flumine ſe ter ablueret. Delicatiores aegroti lavabant in ipſis veſtimentis calida, ut ARTEMID. indicat. cap. 66. quamvis et ſacerdotes Ægyptii, a ſuis contactu immundi, deſcenderunt cum ipſis veſtibus in Nili flumen. Et *mulier* quaedam, nomine *Lyſidice*. tunicata ſemper lavit, prae nimio pudore. Huc faciunt lotiones in *thermis*, quas Graeci *Herculanas* vocant, quod Herculi primum e terra calidas exiſtere iuſſit Minerva, ut a continuis laboribus ſe refocillaret calidis lavacris. Cum igitur heros fortiſſimus *θερμολουσίαις*, *excaldationibus*, uſus legeretur, praetextum hunc ſuis delicatis lotionibus Graeci libenter mutuati ſunt. *Ariſtoph.* in *Nubib.* ARTEMIDORVS loc. cit. ſatis innuit praeter aegrotos, aut a morbo ſe colligentes, itaſſe ad thermas etiam *τοὺς ἀπραγοῦντα*, *otioſos*.

§. 6. Cum autem lotiones vel in flumine vivo, vel in aqua, quam natura calidam emiſerat, vel in aſaminthis aliisque vaſis, quodam in conclavi conſtitutis, ut dictum, fierent, tandem totas domos ac cellas, huic uſui ſoli fere deſtinatas, requirebant, quae *βαλανείων* nomine venerunt, de quibus haec, ſi lubet, accipe.

§. 7. Vt rite et ordine noſtra *περὶ βαλανείων* tractatio inſtituatur 1. conſideranda venit *τοῦ βαλανείου* etymologia, quam, cum SVIDA, Etymologici Magni authore aliisque, ſtatuimus eſſe *ἀπὸ τοῦ τοὺς βαλάνους αὔειν.* Solebant enim veteres glandium putamina ſuccendere; ubi tamen in eo a SVIDA diſſentimus, quod *βαλάνους ἐσθίοντας* id feciſſe dicat, ſiquidem ille error SVIDAE ex aureo poëtarum ſaeculo provenire

nire videtur, in quo, credat Iudaeus Apella, glandibus veſcebantur homines. Reiicimus hic etiam eorum opinionem, qui βαλανεῖα dicta eſſe ferunt ἀπὸ τȣ̃ τὰς ἀνίας βάλλειν, quod *dolores pellant et eiiciant*, ſic enim, ut *Etymologici Magni* author edit. Sylb. p. 186. obſervat, dicendum fuiſſet βαλάνιον, non βαλανεῖον. Errat autem hunc errorem clariſſimus vir, BEROALDVS, qui ad *Apuleii* lib. I. σύμψηφον ſibi citat AVGVSTINVM lib. IX. *Confeſſ.* in quo etiam labitur; ſiquidem ibi doctiſſimus Pater ſe a praeceptoribus ſuis didiciſſe ait βαλανεῖον vocari παρὰ τὸ ἀποβάλλειν τὰς ἀνίας, nec tamen id verum eſſe, uſu comperiſſe addit. Multo minus accipimus, quod exſtat in quadam *Interpretatione Graecorum* et *Hebraicorum terminorum*, hic impreſſa Anno 1510. hunc in modum: *Balinum* i. e. *balneum* a *balin* et *noys*, *mens*, *quia anxietatem animi tollat.* Ex ISIDOR. *Etymol.* male lecto et intellecto lib. XV. 2. poſſet etiam aliquis iure meritoque coniicere eſſe derivandum βαλανεῖον a Graeco βαλεῖν, quod notat *mittere*, *iacere* aquam in vas aliquod lotionis gratia, uti βολεῶνες a βέβολα dicuntur loca, in quae abiiciuntur ſordes; ad lotionem vero neceſſaria omnino erat aqua, quae immittebatur in ſolium, et hoc Graece dicebant βάλλειν pro ἐμβάλλειν. ATHANAS. de *Virginitate:* Μὴ βάλῃς πόαν, ȣ̓δὲ νίτρον &c. *cum lavas ne iniicias herbam*, vel *nitrum*, vel *ſimilia his*, ubi βάλῃς pro ἐμβάλῃς. Eadem ratione βαλλάδες dicuntur *aquarioli*, *baccariones*, qui miniſtrant aquam lavantibus mulierculis; et vas hauriendae immittendaeque aquae idoneum, ἀρύβαλλος dicitur.

Homonymia 2. haec eſt, ut vox βαλανεῖȣ denotet vel locum, ubi lavamus; quo ſenſu εἰς βαλανεῖον ἰέναι dicunt; vel lotionem ipſam, quae in balneis fiebat; quam ſignificationem βαλανεῖον habet, cum βαλανείῳ χρῆσθαι dicunt Achivi.

Synonyma 3. huius vocis ſunt λȣτρὸν, λȣτρὼν, λȣτήριον, vel etiam γυμνάσιον, quae ultima vox cum varius uſurpetur pro βαλανείῳ, addo SVIDAE teſtimonium, in voce γυμνάσιον, pag. 630. Γυμνάσια, ἀλειπτήρια, ἢ βαλανεῖα, ἢ λȣτρά, quam ſignificationem τȣ̃ γυμνασίȣ eſſe, etiam IOSEPHVS de *Bello*

Iu-

Iudaico docet. Ipſe balneator Graecis dicitur βαλανεὺς, λουτροχόος, παραχύτης a diverſis officiis, quibus inſervit lavantibus. DALECHAMP. equidem lib. XII. *Athenaei* cap. 3. παραχύτην reddit, qui *illinit oleo*, ſed refutatur ab ipſo HESYCHIO, cui βαλανεὺς eſt etiam παραχύτης, de quibus infra.

§. 8. Quis balnea invenerit, et primus tales domos exſtruxerit, non invenimus. ALEXANDER quidem SARDVS lib. I. cap. 9. de *Inventoribus Rerum* Medeam tradit balnea reperiſſe, quod ex PALAEPHATI περὶ ΑΠΙΣΤΩΝ cap. 44. hauſiſſe videtur, qui dicit: Πυρίαν δὲ πρώτη Μήδεια ἐξεῦρεν: ubi vox πυρία a Cl. TOLLIO per *balnea* redditur, ſed ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, minus apte: ſiquidem ſi OVIDIVS *Metam.* lib. VII. v. 260. ſeqq. ubi omnia, quae cum Æſone et Pelia a Medea acta deſcribuntur, inſpexeris, nihil unde vel minimam ad balnea coniecturam trahere poſſis, apparebit. Accedit, quod ſi vel maxime Medea balneis adhibitis Æſonem reddiderit iuveni ſimilem, πυρίας tamen vox id non exprimeret, quippe quae nec a POLLVCE inter ſynonyma balnei poſita reperitur, nec aliud, niſi vel vas calidarium, de quo infra, vel partem balnei, quae aſſa Ciceroni, vel ſudationem ſiccam denotat. Sic itaque et PALAEPHATI, et TOLLII, et SARDI errores, inventorem autem balneorum non detegimus. Vix fere dubito, quin ad Sybaritas horum inventionem referam, qui cum gens eſſent voluptatibus maxime diffluens, multa etiam, quorum in balneis uſus eſſe poterat, repererunt. *Timaeus* apud ATHENAEVM lib. XII. cap 3. de Sybaritis inter alia refert iſta: Παρὰ Συβαρίταις δ' εὑρέθησαν καὶ πύελοι ἐν οἷς κατακείμενοι ἐπυριῶντο, *apud Sybaritas etiam inventa ſunt labra lotoria, in quibus decumbentes ſe calefaciebant*; ubi DALECHAMP. per πυέλους hypócauſta *Germanorum* intelligit, male. Ibidem Clearchus tradit, quod Sybaritae primi in balnea introduxerint balneatores pedibus vinctos, ne celerius hinc inde irent, et feſtinantes nimis calida perfunderent, uſtularentque lavantes. Quae tamen ita comparata ſunt, ut meliora de origine eorum edoctus, facile coniecturam meam

ſim

ſim deſerturus. Hoc tamen aſſeruerim balnea, recens introducta, urbium moenibus excluſa et extra portas fuiſſe; quod EVSTATHIVS ad *Odyſſ.* ῥαψ. δ. ex ATHENAEI lib. I. cap. 14. refert.

§. 9. Erant autem balnea vel publica, vel privata. Publica fuerunt in Gymnaſiis et Palaeſtris, quod ex PLVTARCHO in *vita Demetrii* clarum; ubi de Democle, iuvene ob raram caſtitatem praeter caeteros claro, et Demetrii, cuius vitam depingit, libidinem experiri nolente, ita ſcribit: Τέλος δὲ φεύγων τὰς παλαίςρας καὶ τὸ γυμνάσιον λουόμενος ἐφοίτα εἰς βαλανεῖον ἰδιωτικόν. Quo in loco παλαίςραι καὶ γυμνάσιον manifeſte βαλανείῳ ἰδιωτικῷ, ſeu privato opponuntur; quo pertinet et hoc, quod SVIDAS, cuius locum iam ſupra citavimus, inter τῶν γυμνασίων ſynonyma collocat βαλανεῖα. ISIDORVS: *Sed et balnea* &c. *gymnaſia ſunt, eo quod illic omnes in ſuae artis ſtudio exercitentur.* Et paullo poſt: *Haec* (balnea) *et gymnaſia dicuntur; quia ibi athletae, uncto corpore et fricato, manibus exercitantur.* lib. XXV. *Etymol.* cap. 2. Inprimis PLATO docet lib. VI. de LL. quod balnea coniuncta fuerint gymnaſiis, dum ſancivit, ut, ubi copia aquarum datur, gymnaſia iuvenibus, et ſenibus balnea calida conſtruantur, advecta multa materia arida, ut corpora, laboribus exhauſta, vel morbis obnoxia, ibi curentur. Et iterum in *Sophiſta* γυμναςικῇ ſubdit βαλανευτικὴν, quia illa procurat ὅσα ἐντὸς τοῦ σώματος, haec vero, τὰ περὶ τὰ ἐκτὸς, *externa corporis.* ARISTOPHANES in *Nubib.* tangit iuvenes Athenienſes, quod ſaepius in balneis, palaeſtrae adiunctis, quam in ipſis palaeſtris inveniantur. Conf. LVCIANI *Lexiphan.* pag. 825. Edit. Amſtelodam Tom. I. Privata domeſticis tantum atque amicis patebant. XENOPHON ponit huiusmodi balneum medium inter γυναικωνῖτιν et ἀνδρωνῖτιν; de *Adm. Domeſt.* De eo LEONTIVS SCHOLASTICVS epigrammate *Anthol.* lib. IV. cap. 493. edit. *Brodaean.* ſic habet:

Δείματό με ξυνοῖο παρὰ προθύροισι λοετροῦ
Ἀςὸς ἀνὴρ, ἀρετῆς οὕνεκεν, οὐκ ἔριδος.

Z Κεῖνο

Κεῖνο μέλοι πλεόνεσσιν. ἐγὼ δ' ὀλίγοις τε φίλοις τε
Ἐντύνω προχοὰς, καὶ μύρα, καὶ χάριτας.

Vnde ſimul vides publice balnea *ξυνὰ* fuiſſe, h. e. *communia*, in quibus unicuique lavare corpus liceret, idque data mercede; quae merces *ἐπίλετρον* ſeu *βαλανικὸν*, Graecis, Romanis *balneaticum* dicitur. *Gloſſ. Vet. Balneaticum*, *βαλανικόν*; eratque duo oboli. LVCIANVS in *Lexiphan.* p. m. 820. *Σὺ δὲ, ὦ παῖ, στλεγγίδα μοι, καὶ βύρσαν, καὶ φωσώνια, καὶ ῥύμματα, ναυστολεῖν ἐς τὸ βαλανεῖον, καὶ τοὐπίλετρον κομίζειν. ἔχεις δὲ χαμάζε παρὰ τὴν ἐγγυοθήκην δύ' ὀβολώ.* Multo ergo plus dabant Graeci Romanis: cum enim hi dederint quadrantem i. e. ceu SVIDAS voce *κωδράντης* docet, *δύω λεπτὰ*, illi 84 *λεπτὰ* dederunt; quilibet enim obolus ſex *χαλκοῦς*, *χαλκοὶ* ſinguli ſeptem *λεπτὰ* valebant; tradente eodem SVIDA in voce *ὀβολός*. Pauperiores, qui balneum publicum ingrediebantur, ſibi ipſis miniſtrabant, et, mox ſe proripientes, balneatorem mercede fraudabant, unde ARISTOPHANES in *Pace* inquit: *Βαλανεύσω ἐμαυτῷ.* Qui impudentiores erant ex ahenis, in quibus frigida, vel calda ſervabatur, aquam petebant, ſeque ipſos perfundebant, reclamante balneatore, et loti abibant dicentes ad ipſum: *Οὐδεμία σοι χάρις.* Inter eos, qui publica balnea gratis frequentabant, erant et mendici, qui noctu dormiebant ibidem, interdiu ſe calefaciebant ſtantes longa ſerie, ut videre eſt ex *Pluto* ARISTOPHANIS, ubi quidam mendicus refert ſe coryphaeum fuiſſe *κατὰ τὸν στάσιν ταύτην.* Si plures veniſſent, balneator foras eos eiiciebat pedibus tractos, cauſatus, quod attrahendo aërem calidum balnei calorem imminuerent. His addimus Cynicos philoſophos, qui ad ignem balneorum non tantum ſtabant, verum etiam maenidas ſuper prunis aſſabant oleique ſtrigmentis ſe inungebant edebantque. Probat haec omnia unus *Teletis* locus apud STOBAEVM *Serm.* 95. ubi de *Metrocle* Cynico ita loquitur: *Εἰ ἀλείψασθαι χρείαν ἔχοι, εἰσελθὼν εἰς τὸ βαλανεῖον τῷ γλοιῷ ἠλείψατο, καὶ βαδίσας ἐνίοτε πρὸς τὴν κάμινον οὗ τὰ χαλκεῖα,*

κεῖα, τῶν μὲν εἰδῶν (lege *τῶν μαινίδων*) *ἀποπυρὴν ποιήσης περιχέας ἂν ἐλάδιον καθίσας ἠρίστησε, καὶ ἐκάθευδε τὸ μὲν θέρος ἐν τοῖς ἱεροῖς, τὸν δὲ χειμῶνα ἐν τοῖς βαλανείοις.*

§. 10. Caeterum, cum iam hora, lotioni deſtinata, adeſſet, tantus erat concurſus plebis ad balnea, ut ingredientes egredientesque ſe invicem truderent, premerent, ut fluctus fluctum; vid. LVCIANVS in *Lexiphan.* In ipſo balneo magna perturbatio, magnus tumultus, magnique clamoris nec modus, nec finis erat, adeo ut vel per ſomnium *βαλανεῖον ἰδεῖν* malum haberetur ab oneirocriticis; et Pythagoras quoque ſuis prohibuit *βαλανείῳ χρῆσθαι*, quamvis Pythagoraei ſtatas lotiones habuerint, uti ex IAMBLICHI *vita Pythagorae* liquet. Mirum itaque non eſt in tanta plebis promiſcuae colluvie improbos ſimul obrepſiſſe, qui veſtibus, ſoleis &c. inſidiarentur; ideoque domini, ingreſſuri balneum, in apodyterio ſervos relinquebant, qui inconnivis oculis ſervarent veſtimenta. Dici autem vix poteſt, quoties laverint in balneis interdiu, qui voluptatis gratia lavacris utebantur. ARTEMIDORVS lib. I. c. 66. *Νῦν οἱ μὲν*, inquit, *οὐ πρότερον ἐσθίουσιν, εἰ μὴ λούσοιντο, οἱ δὲ καὶ ἐμφαγόντες. εἶτα δὴ λοῦνται μέλλοντες δειπνήσειν, καὶ ἔστι νῦν τὸ βαλανεῖον οὐδὲν ἄλλο, ἢ ὁδὸς ἐπὶ τροφήν.* SVIDAS in ſuo exemplari legit *τρυφὴν*; ex quo loco apparet, quod lotiones anteceſſerint prandium, vel coenam. Ex his patet, quod minimum ſemel, aut bis ingreſſi ſint balnea ſingulis diebus, antequam cibum caperent. Ita Socrates *λελουμένος* abit ad Agathonis convivium, apud PLATONEM. Pherecrates novit quosdam, qui ante lucem ſe laverunt in coronis et unguentis, apud ATHENAEVM lib. XV. *Deipn.* cap. 10. MENANDER, apud eundem, meminit alicuius, qui fatetur ſe uno die laviſſe quinquies, lib. IV. cap. 18. Si qui noctu lavarent, in balneis ſine dubio id fecerunt ad lumina, quibus gymnaſiarchus praebebat oleum; ad imitationem huius *Alexander Severus* oleum thermarum luminibus addidit, cum antea non ante auroram paterent et ante ſolis occaſum clauderentur balnea. Vid. LAMPRIDIVS.

§. 11. Erant vel ψυχρὰ, *frigida*, vel θερμὰ, *calida*, vel *mixta*, h. e. in quibus et calida, et frigida lavabantur, quale illud Hippiae, quod adeo decantat LVCIANVS. Quod vero fuerint, in quibus vel frigida tantum, vel ſolum calida lavabantur, praeter alios varia in *Anthologia* edocent epigrammata. Vt ad calida me vertam, nullus dubito, quin eorum uſus prior fuerit, vel ſaltem non poſterior balneo frigido; ſi quidem voluptas et lavandi commoditas, quae primo balnei exſtructori in mente fuit, magis ad calida deduxerit, ut pote ad luxuriem magis facientia et ſanitatem, unde et eadem PLATONI, quod valetudinariis et ſenibus convenirent, lib. VI. de LL. γεροντικὰ dicuntur. Huc referrem κολυμβήθρας παιωνίας, *piſcinas medicas*, quas in Thermopylis conſtruxerat *Herodes Sophiſta* vicinarum gentium aegrotis. PHILOSTRATVS in *vita Herod.* Laconibus autem calida lavacra ita mollitiei ac voluptatis propria eſſe videbantur, ut lege, quam ſuaſu Apollonii Thyanaei tulerunt, caverint, ne quis calida lavaretur; ALEXAND. AB ALEXANDRO *Dier. Genial.* lib. IV. cap. 20. ex PHILOSTRATO; qui tamen κατὰ ῥητὸν non facit mentionem calidae, ut infra videbimus; hoc autem dicit PHILOSTRATVS de Apollonio, quod medio die ſe ungere, fricare et in aquam frigidam demittere ſolitus fuit, balnea vocans γῆρας ἀνθρώπων. lib. I. c. 12. Caeterum hic notari meretur, quod ea, quorum aquam natura, non ars, calidam fecerat, una voce αὐτοφυῆ, *nativa*, dicta fuerint Ἡράκλεια. EVSTATHIVS ad *Odyſſ.* ῥαψ. θ. v. 249) quam appellationem et tangit ARISTOPHANES in νεφέλ. p. m. 111.

Πᾶ ψυχρὰ δῆτα πώποτ' εἶδες Ἡράκλεια λȣτρά.

Ad quem locum *Scholiaſtes* ita: Ἴβυκός φησι, τὸν Ἥφαιςον κατὰ δωρεὰν ἀναδοῦναι Ἡρακλεῖ λȣτρὰ θερμῶν ὑδάτων, ἐξ ὧν τὰ θερμά. τινές φασιν Ἡράκλεια γίνεσθαι. οἱ δέ φασιν, ὅτι τῷ Ἡρακλεῖ μογήσαντι ἡ Ἀθηνᾶ θερμὰ λȣτρὰ ἐπαφῆκεν, ὡς Πείσανδρος.

Τῷ δ' ἐν Θερμοπύλῃσι θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
Ποίει θερμὰ λοετρὰ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης.

Iunge SVIDAM Tom. I pag. 1194. qui tamen non praeciſe λυτρὰ, nativum calorem habentia, fuiſſe dicit. Verba eius ſic ſe habent: Ἡράκλεια λουτρά. θερμά. κατὰ δωρεὰν γὰρ ὁ Ἥφαιστος αὐτὰ τῷ Ἡρακλεῖ, ἐξ ὧν τὰ θερμά. Eadem et ἱερὰ, *ſacra*, erant; cauſam edocet ARISTOTELES *Probl.* Sect. XXIV. n. 29 Mixta balnea habebant ſuos οἴκους, ſeu cellas. Habebant enim *cellam caldariam*, in qua erant πύελοι θερμοί. Habebant *frigidariam*, ubi κολυμβῆθραι ψυχροῦ ὕδατος, in quibus natare ſolebant. Habebant et ἀφιδρωτήριον, ſeu *aſſam*, ut *Gloſſarium* reddit, *cellam*, quae et λακωνικὸν et θόλος ξηρὸς et πυριατήριον dicitur; quam ingrediebantur, qui ſine aquis aſſa, i. e. *mera ſudatione* et ξηραλοιφίᾳ defungi volebant.

§ 12. Non enim hisce in balneis lavabantur tantum, ſed et unguentis, inprimis oleo, inibi corpora curabant; atque unctio lotionem ſtatim ſequebatur; quod cum ex ψαμμοκοσίοις ferme authoribus, et tonſoribus etiam notum ſit, teſtimonia afferre ſuperſedeo. Vnicum afferam ex ATHENAEO de unctionibus iſtis lib. V. *Deipn.* cap 5. ubi refert *Antiochum*, cognomento Epiphanem, ſolitum δημόσια βαλανεῖα ingredi, cum maxime frequens in iis eſſet turba popularium, ex quibus aliquis videns regi adeſſe unguenta pretioſa et exquiſitiſſimi odoris, *Felices*, inquit, *vos reges*, *qui tali unguento poteſtis uti*; cui nihil reſpondens *Antiochus*, poſtridie balneum ingreſſus ubi lavabatur ille, iuſſit in caput eius effundi maximum pretioſiſſimi unguenti urceum, ut omnes, qui aderant, in pavimento ſe volutantes unguento lavarentur, et propter lubricum ſoli collabentes riſum excitarent. Ex illa frequenti unctione naſcebantur in balneis *olei ſtrigmenta*, Graeci γλοιὸν vocant) quae balneatoribus lucrum non exiguum afferebant; quia enim ex oleo et ſudore hominis concreta erant, habebant vim emolliendi, calefaciendi, diſcutiendi, complendi, ideoque miſcebantur ſuppara-

 toriis

toriis medicamentis, teſte PLINIO lib. XXVIII. cap. 4. Hinc praeferebantur ſtrigmentis e gymnaſio, quae erant e ceromate permixto coeno, de quibus idem teſtatur, quod magno venierint; lib. XV. cap. 4. Obſervo hic, quod idem mos ungendi poſt lotionem et Hebraeis fuerit; vid. *Ruth.* III, 3. et *Iudith.* X, 3. Ad unctionem itaque et in balneis Graecorum erat ἀλειπτήριον, *unctuorium.* ALEXIS, comicus, ἐν Καυνίοις, citante POLLVCE:

Ἐν τῷ βαλανείῳ μήτε τὸ πῦρ ταῖς ἐσχάραις
Ἐνὸν, κεκλεισμένον τε τ' ἀλειπτήριον.

Quod ἀλειπτήριον balneo cum palaeſtra et gymnaſio, quae plerumque balneis iuncta erant, ut ex PLVTARCHI loco ante allato, et XENOPHONTE, quem POLLVX citat, patet, commune fuiſſe cenſeo; et hinc tam balnei, quam Gymnaſii pars authoribus dicitur. Vngebantur autem, dicente EVSTATHIO ad *Homeri Odyſſ.* ῥαψ. ζ. v. 79. ὡς ἂν μετὰ λουτρὸν στέγοιεν τὴν ὑγρότητα. Vnctionem excipiebat *frictio*, quod illud PLAVTI in *Pſeudol.* Act. 4. Sc. 7. v. 93. innuere videtur:

Fricti hi ſunt ſenes, fricari ſeſe ex antiquo volunt.

Frictio autem fiebat, ſi bonus augur ſum, admotis vel manibus, vel βύρσῃ, vel aliis, quare et Lexiphanes ap. LVCIAN. βύρσαν ſibi afferri in balneum vult. Praeterea abradebantur et maculis privabantur diſtringendo, idque adhibita στλεγγίδι, ſeu ξύστρᾳ, quam ſervus in theca, quae ξυστροφύλαξ dicebatur, deferebat in balnea, eaque dominum ſudantem deſtringebat, ſudorque defluebat per canaliculos ſtrigilis. APVLEIVS in *Floridis* dicit, quod ſtrigilis fuit *recta faſtigiatione clauſulae, flexa tubulatione ligulae, ut et ipſa in manu capulo moraretur, et ſudor ex ea rivulo laberetur;* quam deſcriptionem vix intelliget, qui non viderit illam pictam, vel fictam ex veterum monumentis. Hinc et ante nominatus *Samoſateni Lexiphanes* puerum στλεγγίδα κομίζειν vult; adde SCHOLIAST. ARISTOPH. in ἱππεῦσι, ad haec verba:

Μὴ

Μὴ φθονεῖθ' ἡμῖν κομῶσι, μηδ' ἀπεςλεγγισμένοις.

Confer et SVIDAM voce ςλεγγίς. Detergebantur ibidem linteo, tum quod faciem attinet, tum quod reliquum corpus; obſervandumque hic, quod id, quo faciem detergebant, φωσσώνιον dictum fuerit. *Etymologici Magni* autor: Φωσσώνιον, λινȣ̃ν τὶ, ἤτοι σινδόνιον, ἢ καὶ τὸ ἱςίον τῆς νεὼς πεφυσημένον, ὡς παρὰ Λυκόφρωνι.

Ἄφλαςα, καὶ φώσσωνας ὀργυωμένας.

ἢ προσώπȣ τὶ ἐκμαγεῖον. λέγεται δὲ ȣ̃τω καὶ ὁ παρὰ Ρωμαίοις καλεῖται ὠράριον. Ὠράριον autem, ſeu *orarium*, ut viri Clariſſimi, CASAVBONVS et SALMASIVS, ad *Fl. Vopiſci* Aurelianum cap. 48. obſervant, proprie erat linteum, ori tergendo paratum. Caeterum, cum veteribus Graecis τῶν συκιῶν, *cucurbitularum* uſus non fuerit incognitus, quod vel ex ARISTOT. *Rhet.* 3. 2, 35. hoc exemplo.

Ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα,

cuius pentametrum habet ATHENAEVS lib. X. c. 19.

Οὕτω συγκόλλως, ὥςε σύναιμα ποιεῖν.

RITTERSHVSIVS vertit:

Ecce viro vir ita aes ignitum agglutinat ante,
Mox conſanguinea haec mutuo ut efficiat.

Sed non animadverterunt viri docti pentametrum ita legendum eſſe,

Οὕτω συγκόλλως, ὥςε σὺν αἷμα πιεῖν.
Tam preſſe, ut ſimul ſanguinem bibat.

Vel ex POLLVCIS lib. IV. cap. 25. aliorumque locis patet; in balineis optime κολληθῆναι poſſint, procul dubio ibi et res peracta; quod tamen potius in privatis, quam publicis contigiſſe autumo, quoniam in hisce, in quibus omnia ad voluptatem et amoenitatem erant compoſita, nihil tale, quod faſtidium inurit, toleratum fuiſſe veriſimile ſit.

§. 13.

§. 13. Vtebantur autem adhaec talia aliorum miniſterio, ſi quidem *ἀναισχυντηλοῦ* cenſebatur *ἑαυτῷ βαλανεῦσαι*, quare et inter *ἀναισχυντίας* characteres *ἠθικώτατος* ille THEOPHRASTVS in aureo *characterum Ethicorum* libello cap. 9. recenſet *πρὸς τὰ χαλκεῖα τὰ ἐν τῷ βαλανείῳ προσελθεῖν καὶ βάψαι ἀρύταιναν.* Balneorum autem inter miniſtros primum ordinem tenent apud POLLVCEM *Onomaſt.* lib. VII. cap. 30. *βαλανεὺς καὶ βαλανεύτρια*, *balneator* et *balneatrix*: quorum nomen eo, quod curioſi admodum rerum novarum eſſent, ſatis erat infame. HESYCHIVS voce *βαλανεύς. Βαλανεὺς, περίεργος, πολυπράγμων.* His ſuccedunt *λουτροφόροι* et *λουτροχόοι*, HESYCHIO *παραχύται* dicti; qui, ut ex ipſo eorum nomine patet, ferendo et effundendo aquam deſtinati erant. Praeterea, quos tacet POLLVX in ΠΕΡΙ ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ capite, ſuos habebant *ἀλείπτους*, quos licet non praeciſe in balneo adhibitos fuiſſe reperiam, nihilominus; quia Graeci, ut ſupra relatum, in balneis ungebantur et *ἀλειπτήριον*, ſeu *unctuarium* commune erat balneo cum palaeſtra et gymnaſio; in gymnaſiis autem fuiſſe ſervos, qui ab ungendi officio *ἀλεῖπται* dicti fuerint, inveniam; et ſciam, ut docet PETR. VICTORIVS *Antiqu. Lect.* lib. XXXVII. cap. 1. a Romanis ſervos, qui in balneis ungebant, Aliptas, nomine a Graecis ſumto, dictos fuiſſe, miniſtrorum balnei choro inſero. Habebant praeterea, ſed extra balneum, in certo *οἴκῳ*, qui *ἀποδυτήριον* alias, LVCIANO in *Hippiae* balneo *ἀπόθεσις* dicitur, ſuos ſervos *ἱματιοφυλακοῦντας*, *Caſparios* ICtis, qui dominorum ſuorum veſtes contra fures balnearios attento oculo ſervarent, ſiquidem veſtibus ordinariis exuti aliter ſe, cum balneum ipſum intrare vellent, ſuccingebant; ut iam ſupra tactum obiter.

§ 14. Succingebantur autem viri quidem ſubligaribus, quae Graecis *περιζώματα* et *περιζῶστραι* dicuntur, quibus ea, quae natura tecta eſſe voluit, velabant. SVIDAS: *Περίζωμα, τὸ ὑπὸ τὰ αἰδοῖα σκέπασμα.* POLLVX equidem *Onomaſt.* lib. VII. cap. 14. diſtinguere videtur *περίζωμα* a *ζώματι περὶ*

τὰ

τὰ αἰδοῖα; ſed, cum et gymnaſtae, qui pudenda tecti, caetera nudi ſeſe exercebant, περιζωστάμενοι dicantur, et περίζωμα eorum ſit σκέπασμα; et ipſe POLLVX paullo poſt ὤαν λετρίδα περιζωσάμενον ex *Theopompo* offerat, correctione opus habere hunc locum exiſtimo. Speciatim περίζωμα foeminarum ὤα λετρὶς dicebatur; qua et viri utebantur, ſi tamen eodem, quo foeminae, lavarentur balneo; diſtincta enim aliquantulum, iuncta tamen virorum balnea balneis foeminarum erant, quod HESIODVS ἔργ. καὶ ἡμέρ. v. 753. manifeſtum reddit, quando Perſeo ſuo λετρὸν γυναικεῖον interdicit dicens:

Μηδὲ γυναικείῳ λετρῷ χρόα φαιδρύνεσθαι
Ἀνέρα.

Huic adde hoc ex *Antholog. Graec. Epigramm.* lib. IV. p. 492. excerptum epigramma

Παύλε Σιλεντιαρίε εἰς ἕτερον (λετρὸν), ἐν ᾧ λέονται
γυναῖκες καὶ ἄνδρες.
Ἄγχι μὲν ἐλπὶς ἔρωτος. ἑλεῖν δ' οὐκ ἔςι γυναῖκας.
Εἶργε πυλὶς Παφίην τὴν μεγάλην ὀλίγη.
Ἀλλ' ἔμπης γλυκὺ τῦτο. ποθοβλήτοις γὰρ ἐπ' ἔργοις
Ἐλπὶς ἀληθείης ἐςὶ μελιχροτέρη.

Idem firmat VARRO lib. VIII. de L. L. cum *primum*, inquit, *balineum novum et Graecum introiit in urbem, publice ibi conſedit, ubi bina eſſent coniuncta aedificia lavandi cauſa: unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur.*

§. 15. Caeterum, ut uno in conſpectu habeamus inſtrumenta balnearia, dabimus unum vel alterum locum, e veteribus ſcriptis, in quo potiora ſuccincte enarrantur. EPICTETVS apud ARRIANVM lib. IV. c. 11. ita recenſet hanc παρασκευὴν: Ὕδωρ, ἔλαιον, χεῖρες, ὀθόνιον, ξύςρα, νίτρον. Vbi notandum, quod veteres νίτρον, Attice λίτρον, lotionibus adhibuerint; in balneis quidem tritum ſine oleo, vel cum oleo perunctis corporibus, quia ita ciebant ſudorem corpusque emolliebant. PLINIVS lib. XXXI. c. 10. Quod etiam nitrum, aqua liquatum, affuderint manibus a coena, patet ex PLATONIS

TONIS, *comici*, teſtimonio, quod exſtat apud ATHENAEVM lib. XV. cap. 1. his verbis:

> Ἐγὼ δὲ λίτρον παραχέων εἰσέρχομαι.
> *Ego vero, ut nitrum affundam, intro.*

Vbi νίτρον παραχέειν CASAVBONVS fruſtra ſollicitat. In *Colloquio Scholaſtico*, iam ſaepe laudato, dominus, balneum ingreſſurus, cum ſervis ſuis ita loquitur: Κατάγετε σάβανα εἰς τὸ βαλανεῖον, ξύστραν, προσόψιον, ποδεκμάγιον, λήκυθον, προάγετε, λάβετε τόπον. (reſpondet ſervus:) Ποῖ κελεύεις; εἰς τὸ δημόσιον, ἢ ἐν τῷ ἰδιωτικῷ; ὅπου κελεύετε (reſpondet dominus:) ὅτε ὑπάγομεν διηγήσομαί σοι. Poſt pauca iterum dominus ad ſervum: Λοιπὸν, ἔκδυσόν με, σύνθες τὰ ἱμάτια, περίβαλε, τήρει καλῶς, μὴ νύσταζε διὰ τοὺς κλέπτας. Dein dominus pila et lucta ſe exercet, et fatigatus iterum ad ſervum dicit: Ἄλειψον &c. τρῖψον, ἱδροῖς; ἱδρῶ ἐκλέλυμαι; κατάβα, ἔξελθε λοιπὸν. βάλλε σεαυτὸν εἰς τὴν κολυμβήθραν ὑπαίθριον, κολύμβησον. περίχεε σεαυτὸν &c. ἐπίδος ξύστραν, περικατάμαξόν με. ἐπίδος ἐπικάριον, καλῶς ἐλούσω. καλῶς σοι ἔστω. *Bene lavaſti, bene tibi ſit*, inquit ſervus, domino balneum ut ſalutare ſit, precatus. Dedi totum fere locum, quia non tantum balneare inſtrumentum, verum etiam alia multa, eo pertinentia, ordinemque lotionis, in balneo peractae, exhibet. Mulieribus, praeter dicta, erant in balneis praeſto ancillae, ferentes alabaſtros, ſpecula, pectines, pyxides et alia id genus. His addendum, quod delicatiores etiam inter balnei inſtrumentum habuerint *picem calidam*, qua totius corporis pilos vellebant mulieres, παρατίλτριαι dictae, quod erat πιττοῦσθαι, quique hoc faciebant molles et cinaedi habebantur; unde *Apollonius*, apud PHILOSTRATVM lib. IV. p. 9. per literas monuit Ephoros Lacedaemoniorum, ut *picem balneis adimerent, pellerentque triculas*; ita enim reddo ex *Gloſſario* παρατίλτριας. ALEXANDER AB ALEXANDRO ex hoc loco, male intellecto, ſcripſit, ſuaſu *Apollonii* cautum fuiſſe apud Lacedaemonios, ne quis *calida lavaretur*, ut ſupra notatum.

§. 16.

§. 16. Siſtunt ſe tandem et vaſa balneatoria, quae a POLLVCE *Onomaſt.* lib. X. cap. 17. recenſentur: Ἀσάμινθος, πύελος, κρουνός, ἀρύταινα, ἀρύβαλλος, χαλκίον, τρίπους, πυρία. Ἀσάμινθος erat alveus, in quo lavabantur, EVPOLIDI μάκτρα, vulgo πύελος (in POLLVCE itaque lege ἀσάμινθος, ἢ πύελος) et δεξαμενὴ et λουτὴρ dictus. In hos loturi conſcendebant; quod ex hoc EVPOLIDIS loco clarum: Εἰς βαλανεῖον εἰσελθὼν μὴ ζηλοτυπήσῃς τὸν συμβαίνοντά σοι εἰς τὴν μάκτραν; unde et ſimul patet plures ſimul in unum aſaminthum conſcendere eodem tempore potuiſſe. Erant autem lapidei. HESYCHIVS: Ἀσάμινθος, πύελος, ἢ λίθος εἰς βάθος κεκολαμμένος ἔμβασιν. ubi lege, π. ἢ. λ. ε. β. κεκολαμμένος, ἢ ἔμβασις; aut, interpoſito commate, poteris legere, κεκολαμμένος, ἔμβασις. Ἐμβάσεως enim nomine etiam indigitabantur ἀσάμινθοι. Sequitur κρουνός, cuius veſtigia odorare naribus ſagacioribus relinquo. Ego canalem illum eſſe, qui aquam emittit, coniector ſum. Ἀρύταινα et ἀρύβαλλος vaſa erant, quibus aqua hauriebatur et ſuper lavantes effundebatur, ab ἀρύω, *haurio*, derivata; reſpondet hisce κατάχυτλον, ἀπὸ τοῦ καταχέειν deductum. Πυρία, erat vas caldarium, quod calfactum ſudori excitando inſerviebat. Meminit eius ATHENAEVS lib. V. cap. 11. Χαλκίον, ſeu χαλκεῖον eſt vas aheneum, in quo et aqua, et oleum calfiebat. Eſt et τρίπους vas, in quo aqua calida reddebatur, ad differentiam tripodis ἀπύρου, πυριβήτης dictus.

§. 17. Non poſſum, quin et de magnificentia Graecorum circa balnea quaedam hic addam. Eam autem non modice oſtentarunt, ſiquidem, ſi vel unicum illud Hippiae balneum, quod LVCIANVS deſcribit, conſideres, cuncta ſplendent, cuncta luxuriant. Marmore, architectis maxime aeſtimato, paſſim ornata erant; ſicut in Hippiae balneo cella frigidaria erat λακαίνῃ λίθῳ κεκοσμημένη; unctuarii εἴσοδοι Phrygio lapide decorae. Habebant et alia ornamenta, tum imagines ſculptas et pictas. Sic in eodem balneo ſunt εἰκόνες λίθου λευκοῦ τῆς ἀρχαίας ἐργασίας, ἡ δ' Ἀσκληπιοῦ. In alio bal-

neo erat Ἴκαρος χαλκῦς, in quem exſtat IVLIANI epigramma *Anthol.* lib. IV. pag. 451. In alio Ἀφροδίτη ἀποδυομένη, *Anthol.* lib. eod. Tum horarum indices, aliaque huius generis. Non tamen eo usque luxuriae ac prodigalitatis apud Graecos, quo apud Romanos in exſtruendis et expoliendis balneis ventum; quos poſteriores pro merito reprehendit SENECA epiſt. 13. aliisque paſſim locis. Laudatur inprimis Conſtantinopoli *balneum Severi*, patricii Romani, i. e. Conſtantinopolitani, non imperatoris Severi, dictum Ζεύξιππον, a loco, in quo erat, in ipſa urbe, ſtructum, quod conflagravit anno 5. imperii Iuſtinianaei; fuitque εὐμέγεθες καὶ ἀξιοθαύμαστον, *maximum et admiratione dignum.* Nam quotidie duo millia hominum in eo lavabantur. Ἧπτε δὲ τὸ τοιῦτον λουτρὸν μετὰ τοῦ Μηδικοῦ πυρὸς, quod vertit GEORG. DOVSA: *Hoc autem balneum igne Medico calefiebat.* MEVRSIVS in Notis: *Quis*, inquit, *hic Medicus ignis? quaerendum.* Sed, ut ex ampliſſimo *DN. Praeſide* meo didici, fruſtra fuerit, quicunque quaeſiverit. Vitium enim eſt in textu, legendumque μετὰ μικροῦ τὸ πῦρ, *tantum balneum ignis accendit una cum parvo* (balneo.) Duo enim balnea ſtruxerat *Severus*, alterum quidem in urbe, Ζεύξιππον dictum; hoc erat maximum amplumque ad capiendos lavantes bis mille; alterum vero extra urbem Conſtantini, vel, ut verbis CODINI utar, ἔξωθεν τῆς πόλεως, τὰ νῦν καλούμενα καμίνια. Quae ſequuntur in CODINO pertinent ad Ζεύξιππον, non ad καμίνια, quod nomen fuit minori balneo. Vtrumque vero balneum conflagraſſe hoc volunt, quae deinde addit: Pergit enim poſtea: Τὸ δὲ μέχρι τὸ (τοῦ) νῦν σωζόμενον Ἱπποδρόμιον. quae verba clare adſtruunt datam emendationem; quia τὸ σωζόμενον opponit combuſtis operibus *Severi*, quae erant haec duo balnea. Videatur ipſe libellus CODINI, qui inſcribitur παρεκβολαὶ ἐκ τῆς βίβλου τοῦ χρονικοῦ περὶ τῶν πατρίων τῆς Κωνσταντινουπόλεως. In Graecis epigrammatibus eſt diſtichon in hoc parvum balneum Λεοντίου τοῦ σχολαστικοῦ εἰς λουτρὸν μικρὸν παρακείμενον τῷ τοῦ Ζευξίππου, *Leontii Scholaſtici in parvum balneum, ſitum prope id, quod eſt in Zeuxippo.*

Μὴ

Μὴ νεμέσα, Ζεύξιππε, παραντέλλοντι λοετρῷ,
Καὶ μεγάλην παρ' ἅμαξαν ἐρώτυλος ἡδὺ φαείνει.

§. 18. Ne autem error in aliud fortean, quam petebatur, balneum deduceret, nominibus diſcernebantur, iisque ſumptis tum a poſſeſſore; ſic Μαρίας λοῦτρὸν, in quod epigramma in *Anthol. Graec. epigr.* lib. IV. pag. 491. exſtat, a muliere, cuius erat, nomen habebat; tum ab alia re, ut in eadem *Anthol.* lib. IV. cap. 493. exſtat epigramma εἰς λουτρὸν ὀνομαζόμενον ἔρως. CODINVS Achillis balneum novit Conſtantinopoli: Ἔνθα καὶ νῦν τὸ τοῦ Ἀχιλλέως χρηματίζει λουτρὸν, quod GEORGIVS DOVSA reddit, *ubi etiam nunc Achillis balneum oracula reddit*; quaſi χρηματίζει, cum ſignificat, *oraculum reddit*, etiam balneo conveniat. Daemonem quidem nomine Καυστάνθην balneum quoddam infeſtum habuiſſe novimus, ſed oracula ibi unquam reddita eſſe non item.

§. 19. Antequam finiamus, non alienum fuerit a noſtro propoſito paucis notaſſe Graecorum βαλανειομανίαν, *inſanum ſtudium circa balnea.* Adeo ſcilicet dediti erant iſtis, ut magiſtratus, cui cura calefaciendi balnei publice commiſſa erat, in periculum vitae veniret, ſi non ſatisfaceret muneri ſuo. Epheſii certe *Archontem* ſuum quin lapidibus obruiſſent, parum abfuit, ἐπὶ τῷ μὴ ἐμπυροῦν τὰ βαλανεῖα, *propterea quod balnea vel male, vel plane non calefecerat*, de quibus dixit *Apollonius:* Ὑμεῖς μὲν τὸν Ἄρχοντα αἰτιᾶσθε, ἐπειδὰν πονηρῶς λοῦσθε. ἐγὼ δὲ ὑμᾶς, ὅτι λοῦσθε, *vos quidem Archontem accuſatis, quod male lavamini; ego vero vos, quod lavamini.* PHILOSTR. lib. I. cap. 12. Cum igitur Graeca civitas peccaſſet aliquid, ſevera animadverſione dignum, pro grandi poena illi claudebantur balnea publica, vel plane deſtruebantur. Ita *Severus* Byzantinis rebellibus abſtulit balnea apud HERODIAN. lib. III. PHILOSTR. l. c. Τῆς Ἀντιοχείας ἀποκλεισθείσης εἰς αὐτὰ (βαλάνεια) ἐπὶ μεγάλοις ἁμαρτήμασιν ἔδωκεν ὑμῖν, ἔφη &c. *cum Antiochia ob gravia peccata excluſa eſſet balneis, Apollonius, vobis, inquit, dedit imperator plures vivere annos, quamvis ſitis im-*

probi. E contrario pro magno beneficio nova balnea conſtruebantur publicis ſumtibus, aqua ductibus longius accerſita. Idem enim PHILOSTRATVS in *vita Herodis* refert, Hadrianum, imperatorem, in urbis Troadis balnea et unum fontem impendiſſe trecentas myriades, omnemque ſumtum fuiſſe ſeptingentarum myriadum drachmarum. Trecentae myriades ſunt *Latinis* tricies centena millia denariorum; ſeptingentae myriades ſunt ſeptuagies centena millia denariorum. Quamvis igitur Graeci adeo dediti balneis fuerint: nihilominus tamen ſe abſtinebant ab illis in luctu, in calamitatibus publicis aliisque in caſibus, aliis de cauſis, de quibus nolumus iam agere prolixius, quia nobis propoſitum fuit in hoc argumento ita verſari, ut pauca ex multis afferremus. Sit igitur hic

FINIS.

IOHANNIS

IOHANNIS REISKII
PROGRAMMA
QVO
NIMBVM DIVINVM
EX
VETERIBVS
COMMENTATVR BREVITER

GVELFERBYTI CIↃ IↃ CLXXXIII.

Cum doctrinam de apparitionibus deorum dearumque veterem paucis tradendam aggrederer, (pro illo, quod tum meditabar, programmate) ad documenta, ſive indicia, e quibus homini conſtare apparitiones illae poſſunt, etiam deveni. Tum vero inter documenta, ſive ſigna frequentiora inceſſum iunctis pedibus immotisque quaſi fluidum, continuum, ne quidem occluſis palpebris obtutum, et diſceſſum ſubitum referebam, ac teſtimonia auctorum, in eam rem idonea, undecunque licuit, producebam, ut neque nunc iſtius operae poeniteat. Sed inter lectiones, quibus exerceri ſoleo, poſteriores nimbum deprehendi, tanquam ſignum divinae apparitionis, aut divinitatis alicuius apud priſcos indubium, idque merito prioribus addendum. Hinc Venus, cum ſeſe apud VIRGILIVM Aeneae videndam obtuliſſe dicitur, a)

—— —— *Pura per noctem in luce refulſit*
Alma parens.

h. e. in nimbo, qui cum numinibus ſemper eſt; uti SERVIVS annotat. Nec multo poſt in oratione Veneris ad Aeneam, quae ſtatim ſequitur, monitoria ſenſus perſpicue priores exprimit, dum ita Venus ad filium b):

Reſpice; iam ſummas arces Tritonia Pallas
Inſedit, nimbo effulgens, et Gorgone ſaeva:

Commentator ille pro nimbo nubem divinam ſubſtituit, additque: *Nimbus enim eſt fulvidum lumen, quod capita deorum cingit.* Quare, ſi SERVIVS tanta valet apud eruditos auctoritate, quanta grammatici antiqui novis commentatoribus praeſtant, facile inducor, ut arbitrer, nimbum deſcribi

a) *Aen.* II. 590.   (b L. c. v. 616.

poſſe nubem raram denſamve, lucidam, multoque cum lumine deorum, aut dearum capiti circumdatam. Ita videlicet nimbus deorum et dearum veterum apparitioni communis erit nubes, eaque inuſitata, aut extraordinaria, et praeter communem naturae ordinem in aëre ſupremo, medio, vel imo pendula, tanquam dei, aut deae praeſentis indicium et ſignum. Quo fit, ut SERVIVS nubem divinam nuncupet, h. e. meteorum, ſeu *φαινόμενον* nubi haut diſſimile, divino tamen nutu atque auſpicio exortum. Equidem grammaticus ille, niſi fallor, HOMERVM reſpexit, poëtarum principem, qui Vlyſſem neque ulli viſum inter Phaeaces, neque cognitum narrat c):

> —— —— Ὀυ γὰρ Ἀθήνη
> Ἔια ἐϋπλόκαμος, δεινὴ θεὸς, ἥ ῥά οἱ ἀχλὺν
> Θεσπεσίην κατέχευε — — *Non enim Pallas*
> *Sinebat pulchricoma, dea veneranda, quae ei caliginem*
> *Divinam offudit.*

Vbi EVSTATHIVS, interpres optimus, *ἀχλὺν θεσπεσίην ἐπιθετικῶς τὴν μὴ φυσικὴν ἀλλ᾽ ἐκ θεȣ̃ πεσȣ̃σαν, ἢ θεόπεμπτον*; h. e. *caliginem divinam epithetice non naturalem, ſed divinitus prolapſam, aut immiſſam* explicat. Caligo enim illa divina cum nube rationis eiusdem eſt, ut SERVIVS ex HOMERO petitum velit, quod Venus, Aeneae viſa, apud VIRGILIVM, praeſtitiſſe legitur. Quippe ad filium ſic dea parens: d)

> *Adſpice: Namque omnem, quae nunc obducta tuenti*
> *Mortales hebetat viſus tibi, et humida circum*
> *Caligat, nubem eripiam —*

Similiter Minerva ad Diomedem in *Iliade* e):

> Ἀχλὺν δ᾽ ἆυτοι ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν
> *Caliginem rurſus tibi ab oculis abſtuli, quae prius aderat.*

Cum ergo Venus in luce refulſiſſe dicatur, et poſtea nubem caliginoſam, ut pateret conſpectui, eripuiſſe, quidni lucem, nubem et caliginem uno nimbo interpretemur? Huc enim per-

c) *Odyſſ.* VII, 41. d) Loc. cit. v. 604. ſq. e) Lib. V, 127.

pertinet illud SERVII, quo ait, *inter homines ac deos mediam eſſe caliginem.* Nec aliud SCHOLIASTES *Heſiodi* et *Ariſtophanis* antiquus docuit, quam quod ex EVSTATHIO ad *Homerum* ſupra docuimus. Ita vero nimbus nubem, aut raram, aut denſam continuit, pro ut plus minusve caliginis, et craſſas, e quibus coaleſcebat, tenuesve particulas aëri eiusque certo ſpatio induxit; unde reſolutus in eas iterum, et poſtremo denique in ventos deſiit. Nubes tamen ea ſive rara, ſive denſa fuerit, lucida nunquam non fuit, et multo cum lumine deorum, aut dearum capiti circumdata. Lux enim ad divinam ſubſtantiam proxime accedit, et nimbus divinitati non quidem integra nube, ſed ſuo lumine potiſſimum reſpondet, ut vel inde coniectem, huc ſua commentatione, qua nubem et lumen coniunxerat, SERVIUM reſpexiſſe. Huc etiam ſpectat, quod apud eundem Phrygii penates Aeneae oculis adſtare dicuntur *multo manifeſto lumine h. e. nimbo ſuo.* Itemque quod paulo inferius ad verſum VIRGILII animadvertit f):

Et lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.

Proprie nimbus eſt, qui deorum, vel imperatorum capita quaſi clara nebula nubere h. e. tegere, vel ambire fingitur. Tum ergo temporis, quum interpres ille carmina Virgiliana copioſo commentario illuſtraret, nimbus a diis ad imperatorum capita traductus fuit, ſive affectato divinitatis ſtudio, quo ſummi principes agebantur, ſive turpi aſſentatorum artificio, quo principibus fere imponebatur. MAVRVS autem SERVIVS HONORATVS, Theodoſio huiusque filiis imperantibus, ſub finem quarti et initium quinti ſaeculi floruit, MACROBIO aequalis, a quo inter ſuos ſermonum ſocios, in *Saturnalibus* g) laudatur, tanquam doctrina mirabilis, et literatorum omnium, iſta ſcilicet aetate, maximus. Equidem grammaticus ſuam hanc expoſitionem nullis declaravit teſtimoniis, quod illa ſuo tempore conſenſu omnium, et uſu creberrimo conſtabant: nu-

f) Lib. III. v. 587. g) Lib. I. cap. 2. et 24.

mi tamen, publici velut teſtes omni exceptione maiores, nobis hodieque ſuperſunt, maxime conſulares, in quibus imperatorum capita, nimbo circumdata, videmus. Sic aurea numiſmata Theodoſii Iunioris et Placidii Valentiniani noſtro adhuc conſpectui exponuntur, inque iis uterque habitu conſulari, et nimbo ad caput addito, ſellae innixus, ut dextra volumen aliquod, et globum crucigerum ſiniſtra teneat. Similiter apud CAROLVM FRESNEVM in *Diſſertatione*, quam *de inferioris aevi numiſmatibus* inſcripſit, numus proſtat aureus, h) idemque maior, et in illo Conſtantinus atque Conſtans pro tribunali, inſtar conſulum, ſedentes, ac nimbo capita ornati, ut duae coram adſint ſtolatae mulierculae, et ramos laureos porrigant, una cum Chriſti monogrammate, quod vocant, Auguſtis ad verticem, iſtoque ſymbolo adiecto: GLORIA REIPVBLICÆ. Etenim par illud fratrum ſuo conſulatu tres annos tribus illuſtraſſe vicibus, Faſti Conſulares teſtatum faciunt. Aeneum quoque numiſma ſuppetit, et in eo Conſtans Imp. ipſe inter conſules duos medius eminensque, nimbo, aut lumine in circulum ad caput adiecto, ad pedes autem literis VOT. V. expreſſis, quibus vota pro Conſtante quinquennalia ſoluta forſitan ſignificarunt. Praeterea, ſi ad auctoritates confugiendum heic erit, MAMERTINVS, Panegyriſta, in *Sermone Maximiniani panegyrico* ſuccurret, i) *Trabeae veſtrae triumphales*, inquiens, *et ſellae curules, et haec obſequiorum ſtipatio, et fulgur, et illa lux, divinum verticem claro orbe complectens, veſtrorum ſunt ornamenta meritorum.* Vbi lux, divinum verticem claro orbe complectens, nimbum ſignificat, ſive circulum luminoſum, divinitatis alicuius indicem, et inter conſularis dignitatis inſignia relatum. Haec enim temporum illorum ratio, haec conſulum aevi ſequioris impotentia fuit, a priſcis magiſtratibus, qui Romam terrarum dominam fecerunt, et conſulibus aliena, nec modo aequabili temperata. Quippe conſulatus

h) Num. III. i) Pag. 89. edit. Antw. 1599. 8.

latus veteris ornamenta lictores, faſces et ſellas curules deprehendimus, ſive hiſtoriam Romanam, huiusque patrem, LIVIVM, ſive numiſmata, ex antiquis familiis relicta. conſulamus: qualia non modo apud VRSINVM et ANT. AVGVSTINVM multa, ſed apud PATINVM etiam et SPANHEMIVM in *diſſertationibus de uſu ac praeſtantia numiſmatum* recudi ſolent. Equidem, niſi me coniectura fallit, adducor facile, ut contendam, quidquid lucis divinae fulgorisque huius fuit, illud ab imperatoribus, et credita horum *ἀποθεώσει* ad conſules propagatum fuiſſe. Quippe corona, ex radiis in orbem formata, Soli ceterisque diis aliquibus, tanquam ornamentum et inſigne proprium, attribuebatur: quod SWERTIVS in *Deorum imaginibus*, aeri inciſis, GYRALDVS in *Deorum Syntagmate*, k) *et* VOSSIVS in *Theologia gentilium* docent. Imperatores ergo bene meriti, cum vita exceſſerant, in deorum numerum a ſuperſtitioſis hominibus referebantur, et iſto divinitatis ſymbolo, ſive corona et radiato mactabantur capite, quo lauream, donec in vivis fuerunt ſuperſtites, ipſi geſtarant. Numos hic teſtes graviſſimos appello, in quibus capita radiata, ſeu coronae radiis inſignes Divo Iulio Caeſari, Auguſto, Veſpaſiano, Traiano, Pio, Aurelio, Ael. Commodo, Severo, Philippo pluribusque aliis adpinguntur. Quin nonnulli etiam nec dum defuncti, ex ambitu et gloriae divinae ſtudio, coronas eas impotentiſſime ſibi, ut Caligula, Nero, Caracalla et Tyranni ceteri, ipſumque Dei vocabulum vindicarunt. Adeo corona radiata in locum laureae ſucceſſit, et ſecutis imperatoribus, poſt Gallienum ac Valerianum, frequenter placuit, ut illa redimiri, et numis publicis procudi valde cuperent. Illud theſauri, numiſmatum a GORLAEO, GOLZIO, PATINO, et HEMELARIO collecti, nec non imagines imperatorum ab IOH. BAPT. DE CEVALLERIIS, AENEA VICO, IOH. BAPT. DVVALLIO, MEGISERO, et IAC. STRADO delineatae, planum faciunt. Liquet ergo, quare

k) P. 43. Synt. VII. Lib. II. cap. 3.

quare PLINIVS *Secundus* in ſuo ad *Traianum Panegyrico* res ab eo geſtas laudesque promeritas exaggeraturus; *Horum unum*, inquiat, *ſi praeſtitiſſet alius, illi iamdudum radiatum caput, et media inter deos ſedes auro ſtaret aut ebore.* Vbi orator duo divinitatis novae, aut ἀποθεώσεως Romanae monumenta, nempe caput radiis effulgens, et mediam inter deos deasque in templis locisque publicis ſedem propoſuit. Caput enim radiatum vocat, quod corona radiata cinctum quibusdam acuminibus ſeſe attolit, eo more, quo deorum et dearum capita, in ſtatuis tabulisque priſcis pingi ſolita, hodieque cernuntur. Vnam ex omnibus citabo tabulam, eamque marmoream, Romae in Marchionis Iovii domo ſervatam, et docto ALEANDRI commentario explicatam: unamque Solis ex illa effigiem, quae caput duodecim radiis illuſtre gerit, ſive ad menſes anni, quos curriculo ſuo deſignat, ſive ad aſtra Zodiaci, quae pervagatur, totidem indicanda. Hinc apud Maronem l):

— Ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen.

Quia enim Latinus pro filio Circes, et haec pro Solis filia quondam habebatur; inde quadrigis, quales Soli attribuunt, et corona, ex radiis duodecim contexta, uſus dicitur. Numi etiam Romani Solem, capite radiato conſpicuum, repraeſentant, eumque invicti pulcro exornant vocabulo. Vt viri docti et aliis, et ſibi perſuadeant, Conſtantinum magnum hoc Solis invicti emblemate ac numo, quo illud continetur, aeneo, Solem iuſtitiae Chriſtum Ieſum deſignaſſe. Quum vero idem Solis ſpectaculum eandemque inſcriptionem imperatores antea prodiderint, quod vel ex uno GOLZIO perſpicue patet: neque a Conſtantino ita quidquam chriſtianum, aut Chriſto dicatum agitari, ſed priſcam foveri religionem

l) XII. *Aeneid.* v. 161. ſqq.

nem arbitror, ut ab homine, ad fidem chriſtianam neque tum temporis, cum numus prodiit, converſo. Interea illud ex veterum monumentis et teſtimoniis perſpicue demonſtravi; radiato capite, ſeu radiis, ad caput additis, deos primum deasque, poſtea imperatores aeque vivos atque demortuos gaudere: nimbum etiam diis, deabusque, ſi apparuerint, pro tegumento et ſigno fuiſſe, et ab iis ad imperatores, Romanosque tandem conſules deveniſſe. Quid? ſi contendero, quidquid huius religionis, aut conſuetudinis apud gentiles quondam invaluit, hoc ad Chriſtianos etiam priſcos fuiſſe traductum, ea tamen lege, ut nihil ſuperſtitioſi et profani erroris amplius ſubeſſet. Hinc radiato Chriſtus Ieſus capite conſpicuus apud veteres et adhuc noſtros in libris, templis, tabulis, publice privatimque ſiſtitur. Hinc capita angelorum, radiis in orbem cincta, ſeu nimbo circumdata, ubique propemodum exſtant, et ISIDORVM, Hiſpalenſem Archiepiſcopum, in ſuis, quas ſeculo ſeptimo conſcripſit, *Originibus*, ſive Etymologiis permoverunt, ut manifeſtiſſime notaret: m) *Lumen, quod circa angelorum capita pingitur, nimbus vocatur.* Quo quid explanatius in hanc rem dici potuiſſet, non video. Vnde conſtat, nimbi nomen ad circulos eiusmodi luminoſos olim ab uſu ethnico fuiſſe translatum. Hinc adhuc capita prophetarum, apoſtolorum, martyrum et ſanctorum, quos vocant, hominum radiata, ſive nimbo aliquo concluſa, hodieque in conſpectum veniunt, ſive apud Graecos, Syros, et Armenos in orientali eccleſia, ſive apud Coptos et Abyſſinos in Aegyptiaca et Aethiopica, ſive apud Latinos in occidentali eccleſia verſemur. Neque ſola pictorum ſculptorumque conſuetudo ita fert, quibus, iuxta HORATIVM,

quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas:

Sed ratio quoque doctorum varia non absque ſingulari pondere et conſenſus eccleſiae chriſtianae tantum non publicus acceſſit. Vnum ex ſaeculo duodecimo teſtem HONORIVM, Edu-

m) Lib. I. cap. 3.

Eduenſis, ſive Auguſtodunenſis eccleſiae, in Burgundico ducatu, presbyterum et ſcholaſticum citabo, qui pro ſua aetate, quorſum nimbi orbesque luminoſi tendant, luculenter diſſerit n): *Lumina*, inquiens, *quae circa capita ſanctorum in modum circuli depinguntur, deſignant, quod lumine aeterni ſplendoris coronati fruuntur. Idcirco vero ſecundum formam rotundi ſcuti pinguntur, quia divina protectione, ut ſcuto, nunc muniuntur.* Nimbus itaque apud Chriſtianos receptus a priſco illo nimbo, diisque, ſi videndos ſeſe praebuerint, communi plane alius eſt, ſive formam, ſive ſcopum conſideremus. Ille forma ſua nubem lucidam referebat: hic noſter cum corona in radios acuminata, aut circulo et ſemicirculo luminoſo, aut ſcuto clypeoque quandam ſimilitudinem habet. Quin tabulae vetuſtae et Diptycha duo, Leodienſe ac Bituricenſe, uti FRESNEVS o) refert, pro nimbo ſpeciem conchae radiatam adhibent. Nec ſcopo utrinque uno nimbus convenit. Nam inter ethnicos ſuperſtitioſos fictae divinitatis nota, vel indicium fuit, ſive diis, ſive imperatoribus tribueretur: inter noſtros verae divinitatis ſignum praebet, ſi Deo et praecipue Chriſto Ieſu Servatori optimo affingatur: Sin a Deo ad angelos, Mariam, apoſtolos, martyres, et priſcos eccleſiae doctores transfertur, tum ſanctitatis aeternique (ſic HONORIVS ait) ſplendoris, ſive caeleſtis, qua fruuntur, claritatis nota et ſignificatio eſt. Quare imperatores Graeci, ut ſanctitatem, qua plurimi carebant, inter ſuos ſibi conciliarent, et labem, ex facinoribus contractam, exſtinguerent, nimbos ad capita ſua crebros ſibi adhuc viventibus appingi, et Sanctorum titulos imponi voluerunt. Hinc tot tabulae, tot gemmae, tot κειμήλια, et numiſmata nimbis talibus, aut nimbatis capitibus plena proſtant, qualia FRESNEVS in *diſſertatione citata* reddidit. Hinc compellatio apud eos poſtremis ſaeculis conſueta: Δεσπότα μȣ ἅγιε, *Domine mi ſancte:* Qualem CODINVS CHONIATES, PACHYMERES, et *Byzantini ſcriptores*

(n Lib. de Lumin. Eccleſ. (o Loc. cit.

ptores alii, nec uno loco, annotant. Ita ſcilicet nimbus apud Chriſtianos in abuſum deſiit. Illud in quaeſtionem nunc ultimo vocabitur, unde ad deos et poetas veteres nimbus primum derivatus fuerit? Cum enim malignus daemon, tanquam mendaciſſimus Dei ſimius, divinas hiſtorias in commenta ſacraque ſuperſtitioſa converterit: parum abeſt, quin TAVBMANNVM, commentatorem Virgilii praeſtantiſſimum, ſequar et a divinis apparitionibus, quae populo Iſraelitico obtigerunt, nimbos poeticos arceſſam. Siquidem angelus Dei, vel Deus etiam ipſe, p) quem interpretes Graeci vertunt, Iſraelitis, per loco deſertiſſima profectis, ne ab via deflecterent, tanquam dux et comes perpetuus anteceſſit, et interdiu quidem in columna nubis, h. e. nube per aërem, inſtar columnae, longius protenſa, ſive divina aliqua nube, qualem ex SERVIO adduximus. *Ad hoc exemplum credo ego*, TAVBMANNVS ait in ſua *ad Cirin Virgilianam praefatione*, *poetas ſanciviſſe*, *nullum numen mortalibus apparere ſine nimbo*. Quidni ad aliud apparitionis exemplum, quo gloria, ſeu maieſtas divina in nube ſpectandam ſeſe praebuit? Hoc apud Moſen aliquoties in Exodi, q) Levitici, r) et Numerorum libris s) contigiſſe legimus. Sic nubes et nebula divinae praeſentiae ac tutelae indicium praeſentiſſimum fuit ſub templi, a Salomone conditi, prima inauguratione, cum ſplendor mirificus, adiuncta caligine, univerſam aedem ſubierat t). Hinc ergo ad poëticam, ſive mythicam theologiam nimbus promanavit, ſive nubes divina, SERVIO auctore, et lumen illud fluidum, quo capita deorum dearum-

 que

p) Exod. XIV, 21.

q) Exod. XVI, 10.

r) Lev. XXVI. 2.

s) Num. IX. v. 18.

t) 1. Reg. VIII. v. 10.

que cingi credebantur. Vnde vero radiata diis et deabus capita, vel coronae, in radios acuminatae, obtigerint, illud ſub diſceptationem denique cadet. Nec tamen heic verbis cum alio quoquam committi velim aut congredi, nec a prima ſententia depelli: cum in ea firmiter conſiſtam, ratus, quidquid capitum radiatorum inter deos veteres occurrit, hoc omne a ſacra ad fabuloſam hiſtoriam deveniſſe. Moſes enim ex divino conſortio, quo per quadraginta dies utebatur, montanoque ſeceſſu redux, vultum caputque radiatum ad ſuos retulit, ut radii ſplendidiſſimi velut in ſpeciem cornuum, et acuminati ſurgerent, oculosque ſpectantium obtunderent. Ita ipſe de ſe ipſo, velut auctor graviſſimus, in Exodo teſtatur, u) remque omnem vocabulo Hebraeo, ter repetito et a cornibus deſumto, quod nec alibi reperire licet, ſignificanter exprimit. Nec aliter niſi de radiis et ſplendore *interpretes Graeci*, ONKELOS, *Chaldaeus*, *Syrus*, *Samaritanus* et *Arabs* Hebraea capiunt (uti ex Anglicano eoque *Polyglotto Bibliorum opere* patet); itemque PAVLVS, apoſtolorum nemini ſecundus et interpretum facile primus, qui δόξαν τȣ̃ προσώπȣ, i. e. *gloriam faciei*, ex radiis fulgidiſſimis profectam, in *poſteriori ad Corinthios* x) epiſtola ſubſtituit, Graecos interpretes ſecutus, apud quos in verſione legimus: Δεδόξαςαι ἡ ὄψις τȣ̃ χρώματος τȣ̃ προσώπȣ αὐτȣ̃, h. e. *glorificatus eſt adſpectus cutis faciei ſuae.* Nihil ergo cauſae fuit, cur *vulgatus interpres* Moſi cornutam faciem adſcriberet, curque pictores et ſculptores ad caput huius optimi viri cornua monſtroſa temere adſuerent; cur monetarii, aut caelatores potius falſarii adulterina numiſmata, et in iis Moſen bicornem, inſtar Iovis Hammonis, procuderent. Nec intelligo, quare R. ABEN ESRA y) Mneuen apud Aegyptios cornutum ab Moſe non alium cre-

u) Exod. XXXIV, 29 30. 35.

x) Cap. III, 7.

y) In Comm.

credat; HVETIVS autem, doctorum Galliae virorum decus, in ſua *Demonſtratione Evangelica*, Theuten, Oſirin, Apin, Serapin, Mneuen, Orum, Anubim, Vulcanum et Typhona, deos Aegyptios, cum Moſe noſtro eosdem faciat z); ab eo denique Bacchum, Silenum, Panem, Sylvanum, Faunum et deaſtros plures cornigeros ad Graeciam promanaſſe putet. a) Quippe non cornuto, ſed radiato Moſes capite fuit, donec radios caeleſtes ab vultu ſuo in cornuum quorundam ſpeciem ſpargebat. Numina ergo cornuta ſuis auctoribus relinquantur. Interim vel coeco apparet, radiata deorum capita ex rebus Moſaicis poëtas mutuo ſumſiſſe, et fabulis immiſta theologicis, Soli potiſſimum addidiſſe, qui quot radios ex ſuo emittit corpore, tot cornua ex illo eminere, FVLLERVS in ſuis *Miſcellanis* b) ſolerter, uti ſolet, iudicat. Non poſſum autem non mirari, cur MATTH. POLVS *in Synopſi Criticorum* egregia hoc FVLLERI iudicium MACROBIO, quem citatum non curate adeo pervoluit, incogitanter tribuat c). Namque MACROBIVS, in ſuo *ad Somnium Scipionis* d) amplo commentario Arietem, ſolaris curriculi principium et finem ab Aegyptiis habitum ait, eundemque cum Sole Iovem, in *libro Saturnalium primo*. Quod ſi Iupiter a Sole non eſt diverſus, mirum vix ulli videbitur, unde caput ipſi arietinum, ſive cornigerum, nomenque Hammonis apud Aegyptios adhaeſerit. Hebraeos enim Solem ac idolum eius a calore ac fervore Hamon appellare in *Lexico Thalmudico* BVXTORFFIVS e) et FVLLERVS in *Miſcellaneis* f) tradunt.

z) Propoſit. IV. cap. 4.

a) Cap. 8.

b) L. II. c. 4.

c) Ad Ex. I. c.

d) C. XXIV.

e) Pag. 738.

f) Loc. cit.

Nec BOCHARTVS hanc rationem reiicit, niſi quod a Chamo, Noachi filio, Hammonis nomen in *Geographia ſacra* g) deduxerit. Hinc Alexander Magnus, quoniam Iovis Hammonis filius videri vehementer voluit, cornutus inter Patiniana numiſmata, ut novus Iupiter, arietinis quidem cornibus apparet. In Alcurano, autem, ELMACINO, KAESSEO, et EVTYCHIO PATRICIDA, Arabibus, Dulkarnain, h. e. διкέραιος, ſive bicornis frequentiſſime appellatur, quod cornua ſolis ab oriente ad occidentem occuparit (ſic ELMACINVS h) in *Arabica Hiſtoria* loquitur) aut ampliſſimum ex orientalibus terris et occidentalibus imperium formarit, uti HOTTINGERO, rerum Arabicarum doctori optumo, in *orientali Hiſtoria* i) placet.

g) Lib. I. c. 1.
h) Pag. 146.
i) L. I. c. 3.